MARTYRIUM CROATIAE

TYPIS STADERINI - ROMAE
MCMXLVI

MARTYRIUM CROATIAE

TYPIS STADERINI - ROMAE
MCMXLVI

(Ut manuscriptum typis editum)

MARTYROLOGIUM NOVISSIMUM

Tota Croatia in tres provincias ecclesiasticas divisa est. – Prima provincia: 1) Archidioecesis Zagrebiensis (Zagreb); 2) Dioecesis Bosniensis-Symrniensis (Djakovo); 3) Segniensis-Modrusiensis (Senj) et 4) Eparchia Crisiensis ritus orientalis (Križevci). – Secunda provincia Bosniensis-Herzegoviniensis: 1) Archidioecesis Vrhbosnensis (Sarajevo); 2) Dioecesis Banjalucensis (Banja Luka) et 3) Dioecesis Mandetriniensis-Tribuniensis (Mostar). – Tertia olim provincia Dalmatiae (Iaderiensis): 1) Dioecesis Sibenicensis (Šibenik) et Apostolica administratio archiodiocc. Iaderiensis (Zadar); 2) Dioecesis Spalatensis (Split); 3) Dioecesis Ragusina (Dubrovnik); 4) Dioecesis Pharensis (Hvar) et 5) Dioecesis Catharensis (Kotor). – Dioecesis Vegliensis (Krk) olim provinciae Goricensis pars.

Summatim: 2 archidioeceses et 11 dioeceses.

Multi numerantur in Croatia ordines religiosi et congregationes, qui aut provincias proprias aut domus suas habent. Plerique existunt ordines et congregationes monialium, quae simili modo vel provincias proprias vel domus suas possidentes in Croatia munere suo funguntur. Ex ordinibus religiosorum antiquitate et numero eminent Franciscani, Dominicani et Iesuitae; ex ordinibus et congregationibus religiosarum vero praecipuae: Filiae caritatis S. Vincentii a Paulo, sorores Dominicanae, Filiae Divinae Caritatis, Filiae Misericordiae, Sorores S. Crucis, Ancillae a Iesu Infante, Ancillae Caritatis, Sorores Franciscanae, Sorores Praetiosissimi Sanguinis Iesu, et aliae.

Cum Croati ex parte inimicorum Ecclesiae odium ac persecutiones praesertim ea ex causa sustinere debeant, quia maxima pars populi Croatici catholicae religioni fidelissime adhaeret, facile intelligitur clerum catholicum potissimum persecutionibus obnoxium esse. Quam ob rem nomina sacerdotum his temporibus occisorum (quae in hac condicione colligere potuimus), secun-

dum proprias dioeceses disposita retulimus; regularium vero nomina secundum diversos ordines religiosos.

Hoc martyrium pastorum iam per se diras plagas gregis catholici, qui adhuc incessanter patitur, satis collustrat. Quaedam tamen de ipsius populi tormentis, quibus affectus est, opportunum in fine apponere duximus. [1]

Natura rei exigente sequentia signa adhibuimus: cn. = canonicus; dc. = decanus; par. = parochus; prof. = professor; ct. = catecheta; cl. = clericus; l. = Frater laicus; n = natus; o. = ordinatus; † = mors per martyrium; O. F. M. = Ordinis Fratrum Minorum; cpl. = cappellanus; cpl. mil. = cappelanus militaris; theol. = stud. theologiae. Cum duplex genus carnificum sacerdotum Croaticorum sit: alterum «četnici» (organizatio nationalistica Serborum armata), alterum autem «partizani» communistae; priores signo Ct, alios vero litteris PC signavimus.

Archidioecesis Zagrebiensis

Habet circiter 2.000.000 fidelium, 15 archidiaconatus, 40 decanatus, 366 paroecias, cum 408 sacerdotibus in cura animarum et 188 aliis. Hi sunt sacerdotes, quibus ea orbata est:

1. *Bocak Valentinus,* cpl. mil., n. 4-II-1913, o. 14-VIII-1938, a PC † 1945.
2. *Buerger Iulius,* dc. et par. Podravska Slatina, n. 30-X-1885, o. 28-III-1909, a PC † 10-XII-1944.
3. *Žigrović Matthias,* par. Jesenje, n. 8-II-1886, o. 24-III-1912, a PC † 18-VI-1943.
4. *Butorović Ioannes,* par. Iamnica, n. 13-VI-1899, o. 29-VII-1923, a PC † 27-V-1944.
5. *Dunaj Antonius,* cpl. Podgorač, n. 7-VII-1911, o. 14-VIII-1938, a PC † 1944.
6. *Držaić Antonius,* par. Donja Kupčina, n. 19-V-1890, o. 1913, a PC † 1943.
7. *Ferić Matthaeus,* par. Kobaš, n. 23-X-1890, o. 23-VII-1914, a PC † 23-IV-1945.
8. *Djanić Ioannes,* par. Orahovica, n. 24-III-1910, o. 29-VI-1935, a PC † 1944.
9. *Irgolić Antonius,* par. Farkašić, n. 5-X-1877, o. 14-VII-1901, a PC † 1943.
10. *Kramar Stephanus,* prof. cat., redactor ephmr. «Schola Christiana», n. 23-VII-1883, o. 14-VII-1907, a PC † 1945.
11. *Kalajdžić Iosephus,* par., n. 9-1-1912, o. 27-VI-1937, a PC abductus 1945.

[1] De aliis catholicis sic dictae Iugoslaviae, qui ad regiones Sloveniae, Serbiae, Vojvodinae, Montis Nigri et Macedoniae pertinent, hoc in libello non agimus, quamquam neque illi persecutionibus carent. Eodem modo non tractamus de Croatis islamicae religionis, qui atrocissima passi sunt. Demum non loquimur de militibus Croaticis, qui in his ultimis annis in pugnis cum četnicis et communistis ceciderunt. Expositionem nostram igitur restringimus ad persecutionem pure religiosam contra Croatos ad fidem catholicam pertinentes.

12. *Kulundžić Matthaeus,* par. Sveti Petar, n. 22-V-1909, o. 29-VI-1934, a PC † 23-I-1945.
13. *Kranjčić* Dr. *Matthaeus,* par. Ozalj, n. 9-II-1902, o. 5-VII-1925, a PC abductus 1945.
14. *Lizatović Antonius,* par., n. 10-XI-1913, o. 3-VII-1938, a PC † 3-V-1943.
15. *Šmit Iosephus,* par., n. 28-I-1884, o. 2-IV-1911, a PC † 12-IV-1945.
16. *Martinac Iosephus,* par Voćin, n. 25-XI-1905, o. 29-VI-1930, a PC † 17-III-1943, dirissimis tormentis affixus.
17. *Mikec Rudolphus,* par. Novi Grad, n. 15-IV-1912, o. 29-VI-1935, a PC † 20-X-1943.
18. *Pavunić* Mons. *Stephanus,* protonotarius apostolicus, par. et dc. Koprivnica, n. 13-VIII-1875, o. 29-VII-1900, a PC abductus VI-1945.

Dioecesis Bosnensis-Syrmiensis

Habet plusquam 350.000 fidelium, 4 archidiaconatus, 14 decanatus, et circiter 100 paroecias cum 111 sacerdotibus in cura animarum et 70 aliis. Hucusque quantum novimus, hi sacerdotes interfecti sunt:

1. *Astaloš Iosephus,* par. Osiek, n. 20-X-1897, o. 1-VII-1921, suspensus arbori a PC 1945.
2. *Gunčević* Mons. Dr. *Iosephus,* prof. et director gymnasii Slavonski Brod, n. 15-III-1895, o. 9-VI-1918, a PC † 8-VI-1945.
3. *Ivičić Adamus,* prof. Brod, n. 22-XII-1900, o. 16-VI-1924, a PC † 1945.
4. *Thiel Tito,* ct., n. 23-XII-1908, o. 4-X-1934, a PC † 14-IV-1945.
5. *Salovac Ioannes,* par. Sriemski Karlovci, n. 2-VII-1900, o. 5-XII-1922, a PC † V-1945.

Eparchia Crisiensis (ritus orientalis)

Plusquam 50.000 fidelium habet, 11 decanatus, 50 paroecias, cum 53 sacerdotibus in cura animarum. Hucusque, in quantum novimus, hi sacerdotes occisi sunt:

1. *Gavrilović Nenad,* par., a PC † 20-X-1944.
2. *Gvozdanović Paulus,* par., n. 16-III-1899, o. 2-VII-1916, a PC † 16-VII-1943.
3. *Kuhar Ioannes-Iulius,* Ord. S. Basilii, par. Pribić, n. 3-III-1912, o. 26-XI-1933, a PC 1944.
4. *Šimrak* Dr. *Ioannes,* epl. Žumberak, a PC † 9-VI-1944.
5. *Vlasov Alexander,* par. Prgomelj, n. 10-XI-1909, o. 14-II-1937, a PC † 20-VII-1942.

Dioecesis Segniensis-Modrusiensis

Habet plusquam 300.000 fidelium, 4 archidiaconatus, 16 decanatus et 140 paroecias cum 116 sacerdotibus in cura animarum, et 35 aliis. Hi sunt sacerdotes quibus adhuc privata est:

1. *Binički* Dr. *Franciscus*, can. et par. Lički Osik, n. 11-VI-1875, celeber scriptor, vir eruditissimus, plenus spiritu Ecclesiae. E carcere a PC eductus statim moritur mense iunii 1945.
2. *Fifka Carolus,* par. Cerovnik, n. 27-VII-1890, o. 8-VI-1916, a Ct cultro percussus obiit 25-V-1943.
3. *Gržanić Aloysius,* par. Ravna Gora, n. 8-VI-1902, o. 19-IV-1925, a PC † 1943. Mater eius post filii necem prae dolore mente capta est.
4. *Horžić Stephanus,* cpl. Mrkopalj erat pater spiritualis iuventutis catholicae, n. 1917, o. 1940, a PC interfectus 1945.
5. *Jurajić Ioannes,* par. Rakovica, n. 1-V-1884, o. 5-VII-1908, a PC † 31-XII-1942. Ante supplicium sibetipsi sepulchrum fodere coactus est.
6. *Kargačin Vladimirus,* prof. Gospić, n. 17-IV-1906, o. 5-VII-1931, a PC † 4-IV-1945.
7. *Kolarić Ladislaus,* par. Kompolje, o. 1939, a Ct † 24-VII-1943.
8. *Kukalj Carolus,* par. Gospić, n. 17-V-1899, o. 23-VII-1922, a PC † 1945. Scriptor, delegatus Episcopi pro tota provincia Lika.
9. *Loušin Andreas,* par. Lokve, † 1940, occisus in domo parochiali ab uno communista.
10. *Matijević Georgius,* par. Gerovo, n. 19-X-1900, o. 29-VI-1931, a PC † 1943 lapidibus obrutus.
11. *Milinović Zvonimirus,* par. Podstene, n. 1914, o. 1937, a PC † 1943.
12. *Petranović Stephanus,* can. et par. Bribir, n. 29-XII-1878, o. 20-VII-1902, post varias vexationes a PC inflictas † 1944. Poeta. Ante mortem prae tormentis mente captus est.
13. *Pretner Iosephus*, par. Lič, n. 15-II-1886, o. 27-V-1912, a PC † 1943.
14. *Stuparić Vladimirus*, par., n. 1912, o. 27-VI-1937, a PC † 1943.
15. *Šporer Ladislaus,* par. Delnice, n. 1-V-1893, o. 12-X-1915, a PC † 1-XII-1941.
16. *Bubanj Martinus,* par. Sušak, n. 12-XI-1898, o. 29-VI-1921, delegatus Episcopi, a PC † 1945.
17. *Žilavec Antonius,* cpl. Otočac, n. 1915, o. 1939, a PC † 1943.
18. *Tomljenović Blasius,* par. Hrvatski Blagaj, n. 4-II-1888, o. 25-V-1913, a PC exeunte anno 1942, totus in partes sectus.
19. *Štimac Dragutin,* par. Drežnik-grad, n. 14-X-1907, o. 3-VII-1932, a militibus Germanicis † 1943.

Dioecesis Sibenicensis et Apostolica administratio Archidioec. Iaderiensis [2]

Simul habet plusquam 240.000 fidelium cum 20 decanatibus, 150 paroeciis et expositiuris, et plusquam 150 sacerdotibus. In quantum cum certitudine novimus ab utraque dioecesi sequentes sacerdotes amissi sunt:

1. *Adžija Antonius,* par., n. 7-V-1880, o. 30-X-1902, a Ct † 1944.
2. *Jurčev Ioannes,* par. Rogoznica, n. 6-VIII-1912, o. 5-VII-1936, a Ct † 1944 cultro sectus, dum ad supplicium ducebatur, pupillas ei carnifices eripuerunt.
3. *Juričev Antonius,* praefectus seminarii Šibenik, n. 20-VI-1914, o. 18-IV-1937, a Ct † 9-V-1944, sectus et in sacco in mare proiectus.
4. *Šarić Ioannes,* par. Primošten, n. 27-V-1915, a Ct † 4-VI-1944 in partes sectus.
5. *Kranjc Ioannes,* cpl. Nnnić, a Ct † in craticula ustus et postea eius cadaver « dono » missum est fidelibus festo Nativitatis Domini.
6. *Lovretić Felix,* par. Luka, n. 2-IV-1911, o. 14-VII-1935, a PC ligatus et vivus proiectus est in mare anno 1942.
7. *Magaš Ljubomirus,* par. Kolen-Barbat, n. 1915, o. 1939, a PC † 26-VI-1943.
8. *Manzoni Ioannes,* par. Rava, n. 9-XI-1909, o. 11-VII-1942, a PC † 18-X-1944.
9. *Pedišić Ioannes,* par. Ražanac, n. 4-VII-1904, o. 11-VII-1937, a PC † 6-XI-1944 simul cum 14 catholicis familiis.
10. *Tičić Ioannes,* cpl. Pag, n. 11-V-1908, o. 14-VIII-1935, a PC † 26-VI-1943. Ante ipsam foveam dicunt ei: « Abneges Deum et liber eris! » Martyr renuit, gloriose pro Deo mori maluit.
11. *Guberina* Dr. *Ivo,* n. 14-XI-1897, o. 25-IX-1921, a PC † 1945 suspensus. Vir doctissimus, scriptor.
12. *Špika Petrus,* par., n. 1-VII-1880, o. 22-XII-1902, a PC † 1943.

Dioecesis Spalatensis olim Salonitana

Habet circiter 300.000 fidelium cum 7 decanatibus, 150 paroeciis, 103 sacerdotibus in cura animarum et 50 aliis. In quantum statuere hucusque potuimus, sacerdotes, quibus orbata est, hi sunt:

1. *Babić Franciscus,* par. Srijani, n. 10-VI-1901, o. 9-VI-1929, a Ct † 5-X-1942. Cum sorore sua et multis catholicis (plusquam 200 in vicis: Srijane, Kotlenice, Dugopolje, Gata).

[2] Cum Zadar (Zara) urbs sub occupatione Italica fuisset etiam ecclesiastice abscissa fuit, ideoque remanens pars archidioecesis Iaderiensis simul cum dioecesi Sibenicensi administrabatur. Qua de causa simul de utraque loquimur. De Zadar ipsa certas notitias nondum possidemus.

2. *Bašić Miroslaus*, par. Podgradje, n. 9-I-1895, o. 19-III-1918, a PC † 20-VII-1942. Ante eius mortem carnifices apud eum comedebant et bibebant et dolo eum vocaverunt, ut visitaret aegrotum moriturum.
3. *Čondić Ioannes*, par. Rašćane, n. 9-VII-1886, o. 21-I-1912, a Ct † 29-VIII-1942.
4. *Čulin Iosephus*, cpl. Vojnić, n. 1-II-1916, a PC † 3-IV-1942 cum parochum eius iam prius duxere ad supplicium, se ipsum submittere volebat, quod communistae renuerunt his verbis: « Te postea exterminabimus ». Occisus enim est in portis ecclesiae ante celebrationem missae dominicalis.
5. *Delić Nicolaus*, can. et dec. Makarska, n. 2-II-1889, o. 1-XI-1911, a PC † 1944.
6. *Devčić Marcus*, par. Podgora, n. 19-IX-1887, o. 30-VI-1912, a PC † 1944.
7. *Karaman Simeon*, par. Dugo Polje, n. 21-X-1896, o. 14-IX-1919, a PC † 1942. Abductus post processionem in Parasceve et occisus.
8. *Mandarić Philippus*, par., n. 12-IV-1911, o. 11-VII-1937, a PC † XI-1944.
9. *Mladina Georgius*, par. Zasiok, n. 6-IV-1912, o. 17-III-1929, a Ct crucifixus est in arbore ubi per tres dies pependit 6-XI-1941.
10. *Radojković Marianus*, iam pensione gaudebat, n. 5-VII-1889, o. 2-VIII-1914, a PC † 26-XI-1942.
11. *Stanić Ioannes*, par Svišće, n. 3-III-1897, o. 24-IX-1919, a PC † V-1943. Tribus diebus ante mortem verberatus, igne ustus et varie tormentatus.
12. *Dragošević Antonius*, par. in quiete Omiš, n. 21-XI-1870, o. 8-X-1893, a PC † 1945.
13. *Bilić Paschalis*, cat. in schol. med. Makarska, n. 27-VI-1914, o. 27-III-1937, a PC † 1944.
14. *Braenović Iosephus*, par. Župa-Biokovska, n. 8-IV-1902, o. 15-VII-1928, a Ct † 29-VIII-1942 pelle ei abscissa per duos dies iacebat in via publica dum canes cadaver eius dilacerabant. Eadem occasione Ct occiderunt plusquam 80 fideles.
15. *Šegvić Cherubinus*, vir doctissimus, scriptor, n. 23-II-1867, o. 1-IX-1889, a PC † 30-VI-1945.

Dioecesis Ragusina

Habet plus quam 80.000 fidelium, 48 paroecias, 52 sacerdotes in cura animarum, 34 aliis officiis addictos. Hi sunt sacerdotes, qui ei postremis temporibus desunt:

1. *Šmit Iosephus*, prof., cat. Ragusae, a PC † 25-X-1944 in insula Daksa. Ante mortem ipse carnificibus cibus et vinum praebuerat.
2. *Dobud Matthaeus* in quiete Ragusae, n. 19-XI-1882, o. 11-VIII-1907, a PC † X-1944.
3. *Fantela Nicolaus*, can., n. 7-IX-1880, o. 28-VIII-1904, a PC † X-1944.
4. *Grković Lucas*, par. Lisac, a PC † X-1944.
5. *Jelinović Ioannes*, par. Gruda, a PC † X-1944.

6. *Kalafatović-Milić Matthaeus,* par. Kuna et Orašac, n. 23-VII-1911, o. 24-VIII-1935, a PC † 25-X-1944.
7. *Kiš Carolus,* par. Mljet, n. 16-IX-1906, o. 3-VIII-1930, a PC † 1943.
8. *Krečak Georgius,* par. Gruž, n. 23-III-1893, o. 11-IX-1907, a PC † 25-X-1944.

Dioecesis Pharensis

Habet circiter 50.000 fidelium, 8 decanatus, 45 paroecias et 54 sacerdotes in cura animarum et 12 alios. Ultimis temporibus his orbata est sacerdotibus:

1. *Račić Iacobus,* par. Grablje, n. 28-X-1908, o. 30-IX-1934, a PC † 1943.
2. *Knežević Marianus,* par. Praznice, n. 1908, o. 1940, a PC † 1943.

Dioecesis Catharensis

Habebat circiter 15.000 fidelium, nunc vero non plus quam 6000. Habet 4 decanatus, 29 paroecias et expondituras 20 sacerdotes in cura animarum et 9 sacerdotes alios. Ab ea autem amissi sunt sacerdotes sequentes:

1. *Brajnović Ioannes,* par. Škaljari, n. 30-IX-1914, o. 11-VII-1937. Exeunte anno 1944 dolo ab uno « četnik » (Ct) vocatus et repente cultro in pluribus locis corporis vulneratus. Post sex dies in carcerem detrusus, tamen quasi miraculo vivus remansit, sed valde mutilatus. Ragusam profectus, in insula Daksa a PC † 1944.
2. *Perušina Georgius,* can., n. 3-II-1879, o. 29-IX-1901, a Ct † VI-1944.

Dioecesis Veglensis

Habet circiter 40.000 fidelium, 3 decanatus, 1 provicariatum, 29 paroecias et expondituras, 33 sacerdotes in cura animarum et 17 extra cura animarum. Persecutio hucusque vitam his sacerdotibus extinxit:

1. *Čubranić Hieronymus,* cpl. mil., n. 7-V-1908, o. 14-VII-1935, a PC † 1-XI-1942.
2. *Ilijić Nicolaus,* cpl. mil., n. 25-VI-1913, o. 29-VI-1937, a PC † 8-VI-1945.
3. *Mravinac Andreas,* par. Kornić, n. 28-VI-1882, o. 25-V-1906, a PC † 1943 crudelissime trucidatus.

Archidioecesis Vrhbosnensis

Habet circiter 350.000 fidelium, 4 archidiaconatus, 13 decanatus, 104 paroecias, 62 sacerdotes saeculares in cura animarum, 30 alios, et 132 sacerdotes regulares. Hucusque sequentes sacerdotes desunt:

1. *Barišić Iacobus,* par. Gradačac, n. 15-IX-1890, o. 2-VII-1913. Exeunte anno 1941, a PC et Ct pelle ei e capite detracta occisus.
2. *Ivandić Marianus,* par. Odžak, n. 15-XII-1902, o. 27-II-1926, a PC 1945 vi abductus.
3. *Čondrić Ioannes,* prof., n. 1918, o. 1940. Pater spiritualis societatis Actionis Catholicae « Cruciferorum ». Qua talis a PC † mense Ian. 1946.

4. *Dujmušić* Dr. *Carolus,* prof. cat. Tuzla, n. 18-IX-1899, o. 12-III-1922, a PC † 7-X-1944.
5. *Violoni* Dr. *Elias,* par. Brčko, n. 23-XI-1879, o. 29-VI-1902, a PC † 1945.
6. *Miletić Ioannes,* par. Višegrad et cpl. Bieljina, n. 6-VII-1913, o. 30-IV-1939. Post dira tormenta a PC † 26-XI-1943.
7. *Roje Ljubomirus,* par. Pećnik, n. 14-VII-1898, o. 29-VI-1923, a Ct † 15-I-1945.
8. *Weiss Richardus,* cpl. Modriča, n. 7-VIII-1916, o. 30-IV-1939, a PC † 24-III-1944. Valde tormentatus.
9. *Subašić Ioannes,* can. par. Stup, n. 16-VI-1890, o. 29-VI-1914, a Ct † 1945. Cultro iugulatus.

Dioecesis Banjalucensis

Habet 130.000 fidelium, 6 decanatus, 48 paroecias et expondituras cum 26 sacerdotibus saecularibus in cura animarum, aliis 10; sacerdotibus O. F. M. 59. Ab hac dioecesi sequentes sacerdotes amissi sunt:

1. *Barišić Krešimirus,* par. in Krnjeuša, n. 27-VII-1907, o. 30-VII-1935, a Ct † 9-VIII-1941, inauditis tormentis affectus: eum auribus, naso et manibus abscisis, oculis effossis, adhuc vivum in ignem ecclesiae inflamatae proiecerunt.
2. *Böckmann Iosephus,* par. Priedor, n. 14-II-1910, o. 28-III-1936, a PC † 1945.
3. *Gospodnetić Georgius,* par. Bos. Grahovo, n. 9-I-1910, o. 26-VI-1938, a PC † 10-VIII-1941 fusti infixus et igne ustus.
4. *Kaurinović Iosephus,* par. et dec. Priedor, n. 9-VII-1875, o. 29-VI-1901, a PC † 1943.
5. *Nestor Max Waldemar,* n. 12-XII-1888, o. 2-II-1917, a Ct 27-VII-1941, simul cum 350 parochianis occisus, tota paroecia eradicata.

Dioecesis Mandetriniensis et Tribuniensis

Habet plus quam 185.000 fidelium, 10 decanatus, 61 paroecias, 29 sacerdotes saeculares et 178 sacerdotes O. F. M.; ultimis temporibus ei hi sacerdotes desunt: [3]

1. *Krešić Martinus,* par. Gabela, n. 7-XI-1880, o. 29-VI-1903, a PC † 1945.
2. *Putica Vitus,* par. Prenj-Dubrave, n. 11-VI-1859, o. 8-IV-1882, a Ct † 6-IX-1942. Imprimis tormentatus, dein benzino aspersus et igni traditus.
3. *Tomas Elias,* par. Klepci, n. 19-VII-1901, o. 29-VI-1925, a Ct † in nocte de 30-IV ad 1-V-1942 dire tormentatus, 21 vulneribus in flumen proiectus est. Eum vexantes ante mortem et linguam ei extrahentes dicebant: « Nos tibi nunc communionem dabimus ». Quibus varia bona fecerat, ab iisdem occisus est.

[3] Nomina franciscanorum etiam eorum qui in cura animarum erant, inveniuntur in elenco provinciarum singularum.

4. *Vujnović Marianus,* par. Trebinje, n. 18-II-1872, o. 29-VI-1896, a PC † 1945.
5. *Bakula Antonius,* par. Gornje Hrasno, n. 10-VI-1884, o. 29-VI-1909, a Ct mense mai 1942. Ante mortem eum per octo dies variis modis vexabant: lapidabant, ad praesepe in stabulo alligabant, foenum aliasque herbas ei pro cibo porrigebant, super eum equitabant, in fine occisus. Paroecia solo aequata.

ORDINES

A) Provincia O. F. M. Herzegovinensis

Haec provincia habuit 250 membra, ex quibus 178 sac., 22 theol., ceteros FF. laicos (Commissio in U. S. A. inclusa).

Široki Brieg. — Constat ingentem turmam franciscanorum ex monasterio Široki Brieg, in refugio subterraneo a partizanis muro obstructum, benzino irrigatam et flammis traditam fuisse. Ipsi partizani dicunt numerum franciscanorum fuisse 15. Octo franciscani ab illis Split abducti sunt et in coemeterio occisi et sepulti. Prope Široki Brieg, Mostarski Gradac necati sunt 6 franciscani. Ecce nomina omnium:

1. *Barbarić Marcus,* n. 11-II-1865, o. 6-XII-1887. Frater germanus servi Dei Petri Barbarić, cuius causa beatificationis iam introducta est.
2. *Grubišić Zvonimirus,* n. 1915, o. 6-VI-1940.
3. *Jelčić Andreas,* n. 8-V-1904, o. 13-VII-1930.
4. *Kordić Fabianus,* n. 1890, l.
5. *Kožul Tadaeus,* prof., n. 20-VII-1909, o. 5-XI-1933.
6. *Kraljević Christoforus,* n. 21-III-1895, o. 28-VIII-1921.
7. *Majić Stephanus,* cl.
8. *Leventić Žarko,* n. 1919, o. 1943.
9. *Majić* Dr. *Bonifacius,* n. 6-V-1883, o. 14-VIII-1906.
10. *Nuić* Dr. *Archangelus,* n. 21-II-1896, o. 28-VIII-1921.
11. *Paponja* Dr. *Fabianus,* n. 26-XI-1897, o. 3-IX-1922.
12. *Pandžić* Dr. *Krešimirus,* n. 4-III-1892, o. 3-I-1934.
13. *Pandžić Borislaus,* n. 1-I-1910, o. 12-XI-1934.
14. *Rupčić* Dr. *Leonardus,* n. 29-IX-1907, o. 30-VIII-1931.
15. *Sivrić Mariofilus,* n. 10-II-1913, o. 14-VI-1936.
16. *Slišković Ioannes,* n. 24-IV-1877, o. 22-XII-1900.
17. *Šimović* Dr. *Dobroslaus,* prof., n. 15-XII-1907, o. 19-XII-1931.
18. *Vukšić* Dr. *Radoslaus,* Director gymn., n. 5-XII-1894, o. 7-X-1917.
19. *Zubac Augustinus,* n. 9-XII-1890, o. 11-X-1914.
20. *Zlopaša Rolandus,* prof. n. 29-XII-1912, o. 16-VI-1935.
21. *Jurić Rudolphus,* cl.
22. *Ivanković Miljenko,* cl.
23. *Kosir Victor,* cl.
24. *Prlić Melchior,* l., n. 1913.

25. *Radoš Ludovicus,* cl.
26. *Sušac Cornelius,* cl.
(Omnes superius nominati occisi sunt inter 7 et 15-II-1945).

Izbično, paroecia O. F. M. 11-II-1945 partizani sacerdotem *Innocentem Mandić* de altari tempore missae pro populo vi traxerunt et simul cum aliis duobus franciscanis occiderunt, quorum nomina sunt:

1. *Mandić Innocentius*. cat., n. 4-III-1908, o. 10-VII-1932.
2. *Dragičević* Dr. *Marcus,* n. 17-II-1902, o. 2-VII-1928.
3. *Andačić Bonaventura,* n. 1903, professio 1925, l.

Kočerin, paroecia O. F. M. In domo parochiali occisi sunt duo franciscani:

1. *Zovko Valentinus,* n. 14-VI-1889, o. 6-VII-1913.
2. *Topić Andreas,* n. 1919, o. 1943.

Mostar. — In hac capitali Herzegovinae urbe partizani occiderunt 7 franciscanos et in flumen Neretva (Narenta) proiecerunt:

1. *Petrović* Dr. *Leo,* n. 28-II-1893, o. 30-VII-1905, provincialis, vir doctissimus in historia.
2. *Vasilj Gregorius,* guardianus de Mostar, n. 13-III-1886, o. 7-IV-1911.
3. *Bencun Iosephus*. n. 26-IX-1869, o. 3-XII-1893.
4. *Smoljan Bernardinus,* n. 3-X-1883, o. 10-IV-1908.
5. *Prusina Raphaël,* n. 21-I-1884, o. 16-IX-1906.
6. *Pehar Nenad,* prof. n. 7-V-1910, o. 14-VI-1936.
7. *Bebek Casimirus,* n. 1-X-1901, o. 10-VIII-1927.

Omnes superius nominati circiter 14-II-1945 occisi sunt.

Čerin, residentia O. F. M. — Rediens de visitatione aegroti a partizanis necatus est: *Sopta Martinus,* prof. theol., n. 14-II-1891, o. 21-IX-1913.

Gradnići, paroecia O. F. M. — Trucidati sunt a PC anno 1945:

1. *Ivanković Cyrillus,* n. 28-II-1878, o. 12-VIII 1899.
2. *Gašpar Philippus,* n. 15 IV-1893, o. 7-X-1917.

Čitluk, residentia O. F. M. — Necatus est a PC anno 1945 *Križić Iacobus,* n. 26-IX-1893, o. 7-X-1917.

Medjugorje, paroecia O. F. M. — In domo parochiali cum bomba manuali occisus a PC 1945, ita ut per totam noctem agoniam sustulerit *Galić Crisinus,* n. 3-XI-1870, o. 3-XII-1893.

Čapljina, residentia O. F. M. occisus est *Šesar Petrus,* n. 2-IV-1895, o. 28-VIII-1921. A PC, ex ecclesia ubi breviarium recitabat simul cum 120 fidelibus abductus, occisus, et in flumen Neretva (Narenta) proiectus, mense Februarii 1945.

Humao, monasterium O. F. M. — A PC occisus anno 1945, quia sigillum poenitentiae violare recusavit, *Jurčić Maximilianus,* n. 8-X-1913, magister novitiorum.

Veljaci, paroecia O. F. M. — A PC occisi sunt:

1. *Kožul Iulianus,* par., n. 16-IV-1906, o. 11-XII-1932.
2. *Martinao Paschalis,* n. 26-VI-1882, o. 14-VIII-1907. Vir egregiae sanctitatis.

Morituri, pro suorum carnificum conversione orabant, et cantantes « Salve Regina » et « Te Deum » animas Deo tradiderunt.

Ružići, paroecia O. F. M. — Abductus est et occisus a PC *Zubac Zdenko,* n. 6-VIII-1918, o. 16-VI-1935.

Kongora, paroecia O. F. M. — *Naletilić Stephanus,* n. 1-XI-1907, o. 5-XI-1933, a PC † 1942.

Drinovci, paroecia O. F. M. — A PC occisus *Lončar Slobodan,* cpl., n. 1915, o. 1940.

Zagreb. — Ad mortem damnatus et occisus a PC 1945: *Glavaš* Dr. *Radoslaus,* n. 29-X-1909, o. 16-VII-1933, qui addictus erat Ministerio Cultus pro quaestionibus religionis.

Sors sequentium Patrum ac Fratrum a PC abductorum ignoratur, sed valde probabile est eos iam interemptos esse:

1. *Jelavić* Dr. *Bonaventura,* par., n. 17-XI-1898, o. 14-VII-1917.
2. *Nuić Angelicus,* cpl., n. 10-IV-1908, o. 11-XII-1932.
3. *Adamčik Bruno,* prof., n. 27-XII-1908, o. 11-XII-1932.
4. *Puljić Methodius,* par., n. 24-XI-1912, o. 23-V-1937.
5. *Sušak Branimirus,* par., n. 29-XI-1912, o. 23-V-1937.
6. *Stipić Emilius,* par., n. 4-X-1912, o. 1937.
7. *Čolak Daniel,* cpl. mail., n. 1919, o. 1943.
8. *Mikulić Donatus,* n. 1919, o. 1943.
9. *Miličević Aloysius,* n. 1919, o. 1943.
10. *Markotić Svetislaus,* n. 1920, o. 1944.
11. *Petrović Iulianus,* theol., n. 1923.

B) Provincia O. F. M. Bosnia Argentina

Haec provincia habuit 250 sodales, ex quibus 180 sac. A PC sequentes sacerdotes occisi sunt:

1. *Jurković Iulianus,* guardianus Rama, vir apostolico zelo celeber, n. 28-X-1899, o. 29-VI-1923, † 1942.
2. *Slišković Victor,* cpl. Rama, n. 12-VI-1891, o. 6-VII-1919, † 1942.
3. *Grebenarević Bonaventura,* par., vir egregiae sanctitatis, n. 13-VIII-1881, o. 21-IX-1909, † 1943.

4. *Mioč Borivoj,* par. Podhum, n. 20-XI-1907, o. 10-VII-1932. Saevissime cruciatus † 1943.
5. *Tešić Lucas,* par. Volar, n. 29-XI-1894, o. 16-VII-1916, † 1944.
6. *Baltić Victor,* par. Kupres, n. 11-VII-1903, o. 3-VI-1928, † 1943.
7. *Gelić Tomislaus,* par. Bugojno, n. 24-IV-1913, o. 1940, † 1944.
8. *Barišić Stephanus,* par. Podhum, n. 23-I-1882, o. 17-IX-1905, † 1945.
9. *Buzuk Miroslaus,* par. Šurkovac, n. 15-III-1906, o. 22-XII-1928, † 1945.
10. *Ključević Vladimirus,* par. Sivša, n. 23-V-1915, o. 1940, † 1945.

Abducti occulte et constat occisos fuisse.

1. *Kudrić Alphonsus,* guardianus Belgradi 1944.
2. *Loparević Iosephus,* vicarius Petričevac, † 1944.
3. *Šeremet Daniel,* par. Sasina, † 1944.
4. *Matić Michaël,* par. Dubica, † 1945.
5. *Filipović Franciscus,* par. Dubrave, † 1945.
6. *Šlafauser Franciscus,* n. 1919, o. 1943, a PC † 1945.
7. *Strukar Franciscus,* par. Brajkovići, n. 8-VII-1915, o. 1941, † 1945. PC odio contra religionem ducti prohibuerunt eum sepelire et ultra mensem insepultus remansit.
8. *Briševac Daniel,* n. 15-I-1890, o. 11-VI-1915, † 1943.
9. *Ćosić Ephraem,* cpl., † 1946.
10. *Josić Blasius,* cpl., † 1946.

C) Provincia O. F. M. Ssmi Redemptoris

Haec provincia habet 240 sodales, ex quibus 166 sac.
Sequentes franciscani istius provinciae occisi sunt:

1. *Silov Paulus,* o. 1905, a PC † 1942.
2. *Borković Iosephus,* n. 10-IX-1896, o. 15-II-1920, a PC † 1942.
3. *Ivanković Ladislaus,* n. 1897, o. 1921, a Ct † 29-VIII-1942.
4. *Bradarić Stanislaus,* n. 15-VI-1905, o. 1929, a PC † 24-IX-1943.
5. *Lapić Milanus,* n. 1906, o. 1929, a PC † 24-IX-1943.
6. *Šimić Theodorus,* n. 1915, o. 1940, a PC † 1943 Opuzen.
7. *Paviša Petrus,* par. n. 1904. o. 1929, a PC † 1943.
8. *Zjačić Andreas,* par. Lišane, n. 2-I-1907, o. 20-VIII-1931, a PC † 1944.
9. *Pavlov Antonius,* par Kruševo, n. 15-III-1905, o. 28-VII-1927, a Ct † 1943.
10. *Bemtić Antonius,* par. Igrane, n. 9-VIII-1897, o. 1922, a PC † 20 III-1944.
11. *Romac Ioannes,* par. Unešić, n. 9-III-1900, o. 1923, a PC † 17-V-1944.
12. *Vezilić Methodius,* par. Gala, n. 26-III-1883, o. 1905, a PC † 18-V-1944.
13. *Cvitanović Antonius,* par. Potravlje, n. 17-III-1889, o. 1913, a PC † 25-X-1944.
14. *Pavlov Vladimirus,* par., n. 27-II-1900, o. 1923, a PC † 25-X-1944.
15. *Olujić Iosephus,* prof., n. 1888, o. 1911, a PC † 25-X-1944.

16. *Romac Antonius,* par. Brštanovo, n. 8-X-1900, o. 2-VIII-1923, a PC † 25-X-1944.
17. *Sulenta Dominicus,* guard. in civitate Makarska, n. 1900, o. 1924, a PC † 4-XI-1944.
18. *Borić Franciscus,* par. Čvrljevo, n. 19-VIII-1900, o. 5-VIII-1923, a PC † 4-XI-1944.
19. *Milanović Stanislaus,* cpl. mil., n. 23-VIII-1911, o. 1936, dirissime tormentatus et occisus a PC † 10-XI-1944.
20. *Carev Žarko,* par. Drniš, n. 27-XII-1889, o. 26-VII-1914, a PC † 1914.
21. *Jerković Iosephus,* n. 1911, o. 5-VII-1936, a PC incarceratus 1944, postea nihil de eo scitur.
22. *Glavaš Petrus,* par. Vrgorac, n. 29-VII-1885, o. 8-III-1908, a PC † 1945.
23. *Kamber Anselmus,* par. Gradac, n. 1912, o. 1937, a PC † 1945.
24. *Vucić Rudolphus,* cl., a PC † 1945 Trsat.
25. *Radonić* Dr. *Bonaventura,* prof., n. 12-II-1888, o. 26-VII-1914, a PC † 1945. Vir doctissimus et vitae exemplaris.

D) Provincia O. F. M. S. Hieronymi

Haec provincia numerat 152 sodales inter quos 81 sac. Occisorum franciscanorum nomina haec sunt:

1. *Tomašić* Dr. *Thomas,* dir. gymn., n. 1881, o. 1904, a PC † X-1944 in insula Daksa.
2. *Blažić* Dr. *Marianus,* prof., celeber praedicator, n. 1897, o. 1920, a PC † 1944 in insula Daksa.
3. *Barbir Geraldus,* prof., n. 1911, o. 1934, a PC † 1944.
4. *Sokol* Dr. *Bernardinus.* prof. musicae, n. 1888, o. 1912, a PC † 1944.
5. *Miolin Bernardus,* guard. in insula Pašman, n. 1870, o. 1894, a PC † 1944.
6. *Beato Balthasar,* theol., n. 1921, a PC † 24-IX-1943.
7. *Kupek Oton,* theol., n. 1923, a PC † 1945.

E) Provincia O. F. M. Ss. Cyrilli et Methodii

1. *Bukinac* Dr. *Beatus,* par., n. 30-XII-1912, o. 19-VII-1936, a PC † 1945.
2. *Ribić Richardus,* guardianus mon., n. 19-XII-1909, o. 4-X-1934, a PC † 1945.
3. *Solc Sidonius,* cat. Našice, n. 8-XII-1909, o. 25-VI-1933, a PC † 24-V-1942.

F) Provincia O. F. M. Conv.

1. *Ius* Dr. *Petrus,* prof., n. 1910, o. 1935, a PC † 1944.

G) Ordo Praedicatorum

1. *Maroević Bernardus,* n. 20-XII-1884, o. 22-XII-1901, a PC † X-1944.

H) Societatis Iesu

1. *Perica Petrus,* n. 27-VI-1881, o. 27-VII-1914. a PC † 25-X-1944. Vir egregiae sanctitatis, poëta hymni popularissimi Ssmi Cordis Iesu et B. Mariae Virginis.

* * *

Qualis est nunc sors Ecclesiae Cath. in Croatia depopulata? Respondeat pro nobis ipse Mr. Randolphus Churchill filius ex-Premier Winston Churchill, qui nuper archiepiscopum Mons. Stepinac in Zagreb visitavit et suas personales experientias atque informationes in *The Daily Telegraph* et *Morning Post* (London, 23 ian. 1946) et *Cath. Herald* (London, 25 ian. 1946) publice expressit. Ille narrat de quotidianis insultationibus ephemeridum Reipublicae Titi in catholicos, praesertim sacerdotes et episcopos, atque prae omnibus in ipsum Metropolitam Mons. Stepinac. et adhuc 100 sacerdotes in carcere inveniri affirmat. Persecutio igitur adhuc violenta perdurat.

Hoc elenco sacerdotum occisorum nomina minime exhausta sunt. Epistola pastoralis episcoporum Iugoslaviae Titi (20 septembris 1945) statuit 243 sacerdotes interfectos esse, 169 eorum adhuc in campis concentrationis, 89 dispersos esse. Sicuti sacerdotes et religiosi etiam multae moniales persecutionem passae sunt. Certe constat exeunte a. 1941 sequentes sorores Congregationis Filiarum Divinae Amoris e Monasterio Pale (Sarajevo) a PC et Ct occisas esse: *s. Berchama Leidenix* (80 annos nata), *s. Iuliana Ivanišević, s. Bernardina Banja, s. Antonia Fabjan, s. Quirina Bajanc.* – In itinere de Bjelovar ad Grubišno Palje a PC † 2-X-1943 *s. Maria Gratia Mileković* de Congregatione Filiarum caritatis S. Vincentii a Paulo.

Ut elencus probat, maxime sacerdotes in cura animarum positi trucidati sunt. Minime hic et nunc loqui possumus de omnibus ecclesiis et domibus religiosis destructis et flammis datis, de omnibus violationibus, spoliationibus, quas partim iam episcopi in superius laudata epistola commemoraverunt.

Tamen silentio praeteriri non possumus maximam populi Croatici in hoc bello tragoediam, de qua pauca proferenda sunt:

Circiter 500.000 homines populi Croatici (milites, cives, totae familiae, vera migratio populi, vel nova exodus a Pharaone Aegyptio) versus fines Austriae (mense maii 1945) e patria sua discesserunt, ut protectionem foederatorum occidentalium quaererent, qui defensionem principiorum humanismi et christianismi toto belli tempore proclamabant. Haec populi nostri multitudo, postquam ex ea omnes et singuli crudelissimas experientias a parte communismi « liberatoris » experti erant, sperabat se saltem in longinquis mundi regionibus qualemcumque vitae humanae et liberae condiciones inventuram esse.

Quamquam bellum iam finitum erat, in finibus Austriae exercitus Britannicus totam istam multitudinem vi armorum retro progredi et PC tradi coegit. — Etiam illorum, qui his omnibus non obstantibus fines Austriae ulterius profundiusque transgressi et ad Britannos confugati erant, magnam partem nonnullos post dies Britanni PC in certam mortem tradiderunt.

Incredibile videtur enumerare omnia, quae isti populi multitudini obtigerunt. Reduces, in suo itinere cruento, fame et siti vexati, turmatim trucidati; antequam ad fines Croatiae pervenissent, iam circiter 100.000 hominum perierunt. Centenae *tabulae nostrae* a tot tantisque testibus forma prorsus iudiciaria collectae numerum adductum potius diminutum quam exaggeratum esse ostendunt.

Reliqui autem in campos concentrationis in ipsa Croatia proiecti sunt, ubi iterum famem, verbera, condemnationes, mortem sine sacerdote et cruce, morbos sine medico, noctes sine lecto, pluvias sine tecto experiuntur. Quot hucusque remaneant vivi quot autem adhuc in campis concentrationis Iugoslaviae Titi inveniantur, hoc nemo certe dicere potest.

CUR HAEC OMNIA?

1) *Quia bolscevismus et « orthodoxia » in Croatiam impetum fecerunt.*

2) *Quia magni Status occidentales istud foedus bolscevismi et orthodoxiae in Croatos irruens adiuvabant.*

3) *Quia ex-Premier Winston Churchill errorem suum tarde cognovit tardiusque confessus est:*

« Tempore belli putavi posse me adiuvare Titum... Sed nunc mihi penitus conscius sum, me tunc unum ex maximis huius belli erroribus commisisse » (« During the war I thought I could trust Tito... but now I am well aware that I committed one of the biggest mistakes in the war » – *The Tablett,* London, Jan. 5th 1946).

BOLSCEVISMUS ET ORTHODOXIA

Catholici Croati magno dolore afficiuntur dum iterum iterumque ad cognitionem perveniunt, se in mundo occidentali, catholica parte non exclusa, saepissime ignorari vel, quod peius est, eorumque conatus et certamina sinistra luce interpretari. Unde loco comprehensionis fraternae adiutoriique necessarii, frigida indifferentia animi vel etiam hostilis repudiato, quae, proh dolor, in mutua damna tum Croatorum tum Occidentis catholici irreparabilia vergit.

Certe, cum suis 6.000.000 hominum ad stirpem Croaticam pertinentium et cum 106.000 km.^{2} superficiei non tam parva est ut non videri possit. At ista magnitudo eius longe lateque superatur vero illius pro mundo catholico et occidentali pretio. Sita est enim in confinibus Occidentis et Orientis, Imperii Romani orientalis et occidentalis, Romae et Byzantii et illarum regionum, e quibus per saeculorum decursum barbaries Europam invadebat iam inde a rege Dario et Xerxe usque ad invasiones Othomanicas, et, hoc novissimo tempore, usque ad inundationem bolscevismi. E tali situ non solum laudabile munus verum etiam tota calamitas Croatiae oritur. Cum enim *calamitas Croatiae insimul et calamitas Ecclesiae in illis partibus sit,* opus bonum et necessarium nos facere censemus, cum Ecclesiae Praesulibus relationem de Croatiae condicione praebemus.

Condiciones Croatiae hodiernae penitus comprehendi non possunt nisi duo factores externi: orthodoxia orientalis et bolscevismus in claram lucem pōnuntur. Orthodoxia iam a temporibus Photii in vitam Croatiae influxum semper maiorem exercere conata est hodieque conatur, bolscevismus autem tempore novissimo factor ingens perniciosissimusque ostenditur.

Homines studiosi catholici ac scholae catholicorum theologicae in Occidente, iam inde a protestantismi exordiis usque ad praesens tempus, ecclesiae orthodoxae-byzanthinae insufficientem animi attentionem praebuisse videntur, idque multiplici ex capite:

1) Haereditas spiritualis Concilii Tridentini tam dives et locuples fuit, ut merito animos omnium absorbuerit.

At, nova tempora nova gignunt pericula et novas solutiones quaerunt. Re-

ligiosa, ecclesiastica et spirituaila problemata aliter hodie et in aliis mundi partibus ponuntur, ac protestantismus ea olim ponebat.

2) Inter Ecclesiam Catholicam et protestantismum maxima, at inter Ecclesiam Catholicam et orthodoxo-byzantinam minima fere differentia dogmatica.

Sed, dogmata non sunt unicum criterium ad significationem, valorem et influxum alicuius ecclesiae determinandum; saepe enim obliviscitur alter maximi momenti factor: mentalitas ecclesiae orientalis eiusque fidelium a saeculis efformata et ab ipsa occidentali differens.

3) Dum orthodoxia traditionem sollicite custodiebat, et minimam vim expansionis prae se ferebat, protestantismus ipsa dogmata dilacerabat, sub forma vero philosophiae hodiernae et civilizationis laicae fundamenta omnis prorsus religionis concutiebat.

At, protestantismus acies ordinata vix dici potest. Processus civilizationis laicae in Occidente sequitur, sed ad finem suum attingit, et, quamvis traditionem magnam possideat, robore progrediendi destituitur.

Omnia mala, falsa et divinae veritati contraria, quae ex philosophiis modernis pullularunt, in bolscevismo compressa et ad aciem instructa dici possunt. Quod orthodoxiam attinet, quamvis traditionem custodiebat, merito forsitan quaeri possit: estne casus aut nexus causalis, quod bolscevismus in regionibus specifice orthodoxis firmatus et ad summam vim elevatus sit?

4) Revolutio bolscevicorum maximam orientalium ecclesiarum, Russicam nempe, ad terram paene prostravit.

Sed, Respublica bolscevicorum, medio huius belli tempore, ut iam omnibus notum est, foedus cum officiali ecclesia orthodoxa iniit.

(Quod sane non significat omnia ecclesiae Russo-orthodoxae membra sibi in istis complacere. Immo vero libenter confitemur multos episcopos, sacerdotes et fideles pro Christo vitam dedisse).

Hoc foedus, ut nobis videtur, duo facta praepararunt:

a) Bolscevici dictam ecclesiam admodum debilitarunt docilemque fecerunt.

b) Lex historica orthodoxiae est potentiae atque auctoritati Reipublicae ligari. In hoc temporali charactere orthodoxiae tota debilitas mere religiosa, sed et tota eius vis politico-religiosa consistit, quae triplex est: 1) Maxima ubicumque ecclesia strictissimo nexu cum Republica ligatur. Sic in Russia Imperatorum et in Statibus Balcanorum orthodoxis: in Rumenia, in Bulgaria, in Serbia et in Monte Nigro. 2) Media, ubi nexus non intimus tamen sufficiens viguit. Tale erat foedus patriarchatus Constantinopolitani cum Imperio Othomanico. 3) Minima, ubi nexus iste defuit ut in terris vicini Orientis, Statu Othomanico deleto.

Vi talis nexus orthodoxia diffundebatur ubicumque Russia fines suos promoverat. Ecclesia vero Serbica S. Sabae in Imperio Othomanico non tantum se ipsam conservavit, verum etiam in damnum Ecclesiae Catholicae aucta ac dilatata est.

Causae praecipuae, quae bolscevicos ad foedus istud iniendum adduxerunt, hae sunt:

1) Bellum nuper finitum contra tam fortem hostem, qualis Germania fuerat, Statum et systema bolscevicorum ad immam prope ruinam perduxit. Idcirco omnes vires spirituales Russiae adhibendae fuerant, inter quas amor patriae sensusque religiosus latorum populi coetuum minimi non sunt.

2) Contentio diplomatica cum Anglo-Saxonibus fructus victoriae magno pretio comparatos in periculum adducit. In politica extera igitur omnia, praesertim vetera et probata, adhibenda sunt. Ideo Russia bolscevicorum ad vias methódosque Russiae imperatorum, id est ad panslavismum et orthodoxiam reddit.


3) Viri periti in materia tenent panslavismum redivivum novamque cum ecclesia coniunctionem sola vafra arte ad temporis necessitates explicari non posse; potius novam formam in historica evolutione Russiae constituere, quae definitiva forsitan synthesis olim oppositarum antitheseon esset videlicet: marxistici bolscevismi ex una et sensus nationalis religiosique Russorum ex altera parte.

Tali modo ecclesia Russo-orthodoxa, post quinque lustra inviti divortii, veteribus fontibus virium suarum labiis rursus adhaeret, adsuetas formas vitae suae — intimum cum Republica nexum — rursus assumit. *Ecclesia orthodoxa militans Russiae eousque hodie fortiter premit quousque vel fines Status bolscevicorum vel influxus istius Status pertinent.*

Paulo postquam Alexius ad dignitatem patriarchae totius Russiae elevatus erat, statim delegatos in Bulgariam, in Rumeniam et in Iugoslaviam mittebat; Alexandriam vero, Ierusalem et Antiochiam ipse visitavit. Stephanus autem Bulgariae exarcha anno praeterito Russiam petiit ibique, praesertim Moscoviae, Leningradi et Kiev non solum ab ecclesiasticis verum etiam a summis Reipublicae auctoritatibus solemniter excipiebatur. Visio nova apparet: *Respublica bolscevicorum hodie signifera unificationis totius mundi per revolutionem lucet; nil mirum si ecclesia isti Reipublicae foederata se ipsam signiferam unificationis per religionem videat.* Enimvero Alexius Stephano Bulgariae officium programmatis de unione oecumenica ecclesiarum perficiendi imposuit.

Versus extraneos modus communis incessus Reipublicae et ecclesiae, ut imperatorum temporibus, sic et hodie rationibus politicis Reipublicae regitur. Hoc temporis momento tres modi praecipui distingui possunt:

1) Ubi impetus ecclesiae Statui prodesse potest, ecclesiae impetus non solum plena libertate verum etiam favore Status fruitur; sic, ex. gr. in Rutenia (Ucrania Occidentalis) Patriarcha Alexius litteris encyclicis catholicos unitos ad schisma revocat et sacerdotes dissidentes velut locustarum plagam in regiones unitas mittit, qui ecclesias catholicorum vi occuparent, dum praesules sacerdotesque earum Sibiriae et Chersoni in exilio moriuntur; de quibus novissima Encyclica *Orientales omnes.*


AUSTRIA
H U N G A R I A
SLOVENIA
KRIŽEVCI
ZAGREB
DRAVA
DANUVIUS
DJAKOVO
SAVA
BELGRAD
KRK
SENJ
BANJA LUKA
C R O A T I A
SERBIA
ZADAR
SARAJEVO
DRINA
ŠIBENIK
SPLIT
MOSTAR
HVAR
MONS NIGER
DUBROVNIK
KOTOR
ITALIA
MARE ADRIATICUM
ALBANIA
0 50 100 KM
1 ISTRIA, 230.000 CROATORUM
DE FINIBUS IN „CONVENTU PACIS" DECIDETUR
2 BARANJA – BAČKA, 200.000 CROATORUM
3 SANDŽAK, 140.000 CROATORUM

2) Ubi impetus ecclesiae Statui obesse posset, uti ex. gr. in Polonia, ibi ecclesiae incursus restringitur.

3) *Ubi adiutorium ecclesiae Statui maxime necessarium est, ibi incessus impetusque communes fortissimi sunt. Ita praecipue in Balcanis.*[1]

Finis principalis Russicae in Europam expansionis, sicut a saeculis, ita hodie quoque, Balcani, vel potius Mare Mediterraneum est. Maximam partem paeninsulae Balcanicae nationes Slavicae orthodoxae incolunt. In Bulgaria, in Serbia, in Monte Nigro orthodoxia Statui intime inhaeret et sub forma unicae statalis unicaeque nationalis ecclesiae vivit. (In Bulgaria, Rumenia, Graeciaque familiae regiae ad orthodoxiam transire debuerunt, in Monte Nigro vero, nonnulla decennia ante, caput ecclesiae insimul caput Reipublicae fuit). Si valde alibi, maxime in isto ad Mediterraneum accessu bolscevismus ecclesiae adiutorio indiget.

E Slavicis Balcanorum nationibus, Bulgaros a maris fretis (a Dardanellis) non-slavica et non orthodoxa Turcia, ab Aegaeo vero Turcia et non-slavica Graecia separat; Serbia tota continentalis est, Mons Niger vere pauca km. litoris Adriatici habet. *Soli Croati* iam ab adventu suo (saec. VII p. C. n.) *in Mediterraneum, in Adriaticum* a Tergeste fere usque ad fines Albaniae *firmi immobilesque incumbunt.* Sed Croati eodem modo inflectibiles catholici sunt. Quia vero vita oeconomica et civili vicinae Serbiae praestabant, Russia tempore belli 1914-1918 tantam Croatiae partem Serbiae adnecti studuit, quantam Serbia facile adsimilare, id est ad orthodoxiam traducere posset. Ita etiam explicite Russia tunc Serbiae suadebat.

Hodie bolscevicorum Russia nullos scrupulos habet, auctoritate quoque sua apud alias nationes Russia imperatorum longe fortior est. *Ipsa non partem Croatiae sed totum Adriaticum, totam Croatiam cupit.* Idcirco contra Croatiam hodie apocalypticus biceps draco saevit. Qua de causa sanguis catholicus Croatorum a quinque iam annis, rivorum more, abundans fluit. Integra Croatia magna arena evenit, in qua fatalis pugna Occidentis et Catholicismi cum Oriente et bolscevismo crudeliter saevit.

Faciem suam tot sacerdotum martyrum totque centenorum millium fidelium sanguine cruentatam ad Europam, ad totum Occidentem, ad totum Orbem Catholicum vertit invocans, ut e tragica condicione eruatur. Parva et

[1] Notandum est unam partem hierarchiae orthodoxae Balcanorum, illius praesertim S. Sabae ecclesiae, a patria adhuc peregrinari et bolscevicis hostilem esse. De internis non iudicantes, duabus rationibus id explicari posse censemus:

a) In antiqua cum Republica coniunctione positio ecclesiae melior ac dignior erat quam in hac novissima. Quod praecipue de ecclesia S. Sabae dici potest. Saba enim episcopus († 1236) non tantum fundator ecclesiae Serborum orthodoxae fuit, sed etiam magnitudinis Reipublicae fundamenta posuit. Ideo S. Sabae ecclesia semper Reipublicae aut superior aut saltem par erat.

b) Hodierna condicio politica in Europa, maxime in Balcanis, finita et immutabilis non esse videtur. Spes ergo antiquae positionis recuperandae vana *nondum* apparet.

c) Sunt denique inter orthodoxos homines qui principiis christianis ducti in bolscevismo acerrimum hostem religionis vident.

parum cognita est, ut ad se suaque in hoc saeculorum certamine magna studia et curas primorum attrahat. Sine adiutorio ab extra, *si biologice conservari vellent, suam occidentalem catholicamque animam Croati sacrificare deberent.* Cum Hibernis et Polonis Croati inter catholicissimas nationes mundi sunt. Religione catholica civilizationeque occidentali anima Croatorum ita imbuta est, ut hae formam animae populi constituant. Qua de causa *periculum surgit ne Croati mortem potius subeant quam animam suam deformari sinant.*

Uterque casus pro orbe catholico et occidentali unum idemque effectum haberet: *religio catholica spiritusque Occidentis e Balcanis evanescerent.* Ut vero hoc tragicum dilemma plene intellegatur, necesse est formationem evolutionemque historicam Croatorum nationis animaeque nationalis eorum per summa saltem capita cognoscere.

CIVITAS DEI

Imperatore Heraclio regnante (610-640) magna gentis Croatorum pars in hodiernam patriam fluvios inter Murum, Dravum, Danubium, Savum, Drinum et Mare Adriaticum sitam pervenerat. Eius mentio prima habetur in inscriptionibus iam ex saeculo II vel III in urbe Tanais ad Mare Azovicum inventis necnon in illa regis Persarum Darii inscriptione in urbe hodierna Behistan inventa. His itaque in inscriptionibus sermo est de Croatorum gente, quae re militaris virtute et genio excellit. Postea, tempore migrationis populorum, inde ad regiones montes inter Carpathos et ad ora Vistulae fluminis sitas pulsa et cum Slavorum populis illic iam degentibus commixta, populorum horum lingua ac moribus acceptis, Reipublicae militiaeque institutionem propriam iis imposuerat. Haec igitur gens aetate quidem recentissima, indole vero ac virtute bellica eximia, ab imperatore Heraclio est accersita ad Illyricas provincias Imperii a crudelibus Avaris liberandas et ad imperii confinia ab iteratis barbarorum populorum incursionibus custodienda. Expleto, cum rerum prospero successu hoc imperatoris voto terraque bello expugnata potita, Croatorum gens Romanorum more pactum cum Imperatore inierat novaeque patriae fundamenta iecerat.

His ergo iam in factis totius historiae populi fundamenta praeiacent. Ipsis enim in initiis quasi in compendium redactas illas habemus quam maxime insignes partes, quas a Provindentia Divina sibi assignatas Croatorum gens per tot saecula in paeninsula Balcanica egregie peragebat, exstans scilicet « Antemurale Christianitatis » ac munimen tutum populorum occidentalium ab omnibus incursionibus ex Oriente provenientibus sive schismaticis sive islamicis.

Inito cum imperatore Heraclio pacto et collocata in recenti patria, Croatorum gens reliquias ibi incolarum Romanorum stirpiumque Slavorum migrationibus illuc appulsas repererat illisque nullo negotio suam Reipublicae militiaeque institutionem imposuerat. Respublica quidem Croatorum iuvenis initio Byzantinorum, postea vero Francorum summum imperium agnoscere debuerat. E medio tandem saeculo IX plena libertate ac perfecta independentia et autonomia gaudebat.

Etsi sub Byzantii dominatione degerent, tamen Croatorum gentis principes ac duces, non multum tempus post eorum adventum in novam patriam,

Ecclesiae Romanae Summum Pontificem adierant et una cum aliis Europae christianae principibus eius tutelae sese commiserant. Tunc tempore Ecclesia a Papa Iohanne IV, Dalmata, regebatur. Eius solum natale, Dalmatiae scilicet regiones, Croatiae duces a manibus Avarorum eripuerunt suoque imperio subiecerunt. Tunc a Papa Iohanne IV abbas Martinus nomine ad illas regiones ad providendum christianorum residuis in Dalmatia degentibus et ad ossa martyrum Romae transportanda missus erat. Cuius facti insigne illud exstat documentum in opere musivo, triumphum scilicet martyrum Salonitarum in capella Sancti Venantii ad baptisterium basilicae Lateranensis Sancti Iohannis Apostoli, quae titulo « omnium Urbis et Orbis Ecclesiarum mater et caput » honoratur. Istis cum Christianorum residuis in urbibus Dalmatiae adhuc superstitibus, Croatorum gens vivum commercium inivit et magis magisque voto baptismatis exarsit. Duce Iohanne Ravennati durante saec. VII baptismatis sacramentum Croatorum genti a sacerdotibus ex Roma missis collatum fuerit. Laudatus vero Iohannes a Ravenna primus Spalati archiepiscopus creatus fuerat, quo facto hierarchiae ecclesiasticae organizatio in territorio Reipublicae recentis Croatorum restituta erat. Quo pacto eventum est, ut inter omnes Slavorum gentes, Croatorum gens prima fuerat baptismate initiata, et quidem centum annos antequam Sloveni, trecentos quinquaginta autem annos antequam gens Russorum!

Accepto baptismate Croati Romano Pontifici S. Agathoni Papae (678-682) sollemni voto se neminem umquam aggressuros sese obstrinxerant. A Romano Pontifice e contrario promissionem se eam ab omnibus inimicorum incursionibus iniustis defensuram acceperant.

Historia teste compertum est Croatorum gentem ad recentissima usque tempora per tot saecula votis ac promissis suis fidem servasse. Nihil enim sollemnius nilque antiquius eius principes ac duces quam munus illud sublime, officium scilicet christianitatis defensorum ac occidentalis plagae orbis, executioni mandare habuerunt. Repetitis praeprimis vicibus voti peracti in eius historiis mentio fiebat, quae quasi voti renovatio haberi debet. Legentibus porro praedicti populi historias non est ignotum eum una ex parte nemini umquam bellum indixisse, altera vero ex parte saevissima per tot longa saecula bella contra infensissimos crucis Christi inimicos gessisse, Mahumetanos scilicet, ad defendendas religionis christianae veritates sublimes et ad mores omnemque sanam culturam orbis plagae occidentalis ac christianae tuendos. Status deinde moderatoribus munus illud tutelare veritatesque religionis christianae summa lex, quae quam maxime arcte scientiam Reipublicae administrandae penetrabat, fuit. Eius vestigia omnibus in condicionibus vitae publicae nationalis ac privatae clarissime in lucem prodeunt. Domi enim militiaeque, in vita publica et privata, in rebus prosperis et adversis religionis christianae veritates ac mores agendi norma suprema regum, principum, comitiorum, banorum universique populi eiusque familiarum ac idea inspiratrix instigatrixque evaserunt.

His perbreviter dictis de elicito voto luculentissime lectoribus apparebit cardinem totius historiae Croatorum gentis in duplici momento consistere:

in *devotissima scilicet erga religionem christianam eiusque Summum Pontificem pietate ac honore* secundum illud adagium « ubi Petrus, ibi Ecclesia » et in illo augustissimo munere tutelari, vi cuius a Romano Pontifice populus titulo *Antemurale Christianitatis* auctus fuerat.

Inde facile intelligitur quomodo Croatorum gens his gaudens praerogativis Reipublicae eminenter christianae institutionem perficere potuerit. Huic Reipublicae primum quidem principes ac duces. dein vero inde ab anno 925 reges ex stirpe patria orti praefuerunt. Mira porro et splendida organizatio statalis aliquid unicum et sui generis in tota paeninsula Balcanica fuerat. Prae oculis enim habentibus eximias illas virtutes militares et indolem populi: pacis scilicet amorem, idealismum ardentissimum sensus iuris evolutum vi cuius unicuique ius suum tribuebat, proprii autem iuris publici et privati, linguae maternae, nominis ac nationis propugnatrix indefessa exstiterat, talis status organizatio nil mirum apparebit.

Iisdem igitur dotibus porro illa populi singularis resistentia absque exemplo contra influxum aliorum populorum ad Mare Mediterraneum adiacentium potissimum debetur. Croatorum enim gens indolem ethnicam suam non solum conservavit, sed etiam admisso influxu culturali, elementa eiusdem culturae mediterraneae ad florem evolvit et propagavit. Punctum porro quam maxime australem consequi, in migratione ad Mare Mediterraneum pervenire ibique per tot saecula degere ac peritissimorum nautarum nomen adipisci, ex omnibus Slavorum populis Croatis solis obtinuerat. Itemque gens Croatorum ipsa *sola ex tot et tantis paeninsulae Balcanicae populis* fidem catholicam olim amplexam tot inter discrimina rerum incorruptam atque integram nimio etiam pretio: amissione scilicet Reipublicae, alienatione solii nationalis necnon diminutione non parva populationis conservavit.

Initio medii aevi migratione populorum finita, multi ex populis recentibus condicionibus geographicis faventibus magnas quidem ac splendidas Respublicas instauraverunt, uti Visigoti, Ostrogoti, Longobardi, Vandali, Hunni. At omnes praedicti populi non obstantibus condicionibus externis faventibus, brevi post migrationem ex numero populorum Europae christianae deleti carentibus facultatibus ac dotibus internis, quibus dicta Croatorum gens pollebat, perierunt.

Et aliud quoque libeat in mentem benevoli lectoris revocare, illud scilicet Tertulliani adagium « anima humana naturaliter christiana », quod adagium eminentissimo sensu de Croatorum catholicis valere videtur. Schismati enim Photii Dalmatiae episcopi Latini omnes, utpote imperatori Byzantinorum subditi, statim nomen dederunt. Non autem sic Croatiae populus fecit, sed firmissimam et devotissimam erga Romanum Pontificem pietatem ac fidelitatem servavit. Immo principi Sedeslao (878-79), qui populum ad schisma traducere voluerat, calcem nullo modo dederunt, sed ei fortiter restiterunt.

Croatorum porro ille amor pacis et sensus iuridicus altus virtutem bellicam nullo modo impediebat, sed eam exclusive ad patriam ab invasore iniusto defendendam et ad mores christianos tuendos applicabat. His enim

tantum ex rationibus dux Domagoj (864-876) classibus et exercitu ad Barium urbem contenderat ad auxilium imperatori Ludovico II contra Arabos ferendum.

Tomislaus (925-930) deinde, Croatorum primus rex, Bulgariae Imperatorem Simeonem qui, tota fere paeninsula Balcanica iam subiugata, Byzantinorum quoque imperio graviter minabatur, feliciter debellaverat. Gloria belli ornatus victoriaque ex Imperatore Simeone reportans, rex Tomislaus regni sui limites ultro extendere potuisset. At memor factus voti Romano Pontifici olim dati ac stando promissis, regni semel pace ac libertate stabilita, et augendam spcetabant, curaverat, quamquam, teste Imperatore Porphirogeneto, 100.000 peditum, 60.000 equitum, 100 konduras et 80 saginas habebat. Omissis ceteris, placeat duos saltem conventus synodales, qui Spalati eius tempore locum habebant, legatis Papae praesidentibus, memorare. Quare tempore regis Tomislai Croatorum gens a Papa Iohanne X titulo *specialissimi filii sanctae Romanae Ecclesiae* honoratur.

Primo rege Tomislao mortuo ei deinceps in regni throno 12 reges, omnes stirpe ex patria originem ducentes, successerunt. Hi praedecessoris sui opus plus minusve feliciter continuaverunt. Urbes enim Dalmatiae, quae hucusque Byzantinorum sub dominatu, at Croatiae sub administratione iuridica fuerunt, cum iure ad Croatiae regnum adnexuerunt. Tomislai porro successores animum quam maxime ad occidentis catholici studia advertebant eaque magni habebant atque in proprio solio divulgabant. Cuius rei praeclarum aliquod habemus exemplum in rege scilicet Demetrio Zvonimiro (1074-1089). Gebizonem enim legatum a Romano Pontifice Papa Gregorio VII ad eum missum magnis cum honoribus excepit, qui iussu Papae capiti eius diadema imposuit ab eoque promissionem accepit se eum contra omnes hostium incursiones iniustas defensurum. His igitur rite peractis studia illa Papae Gregorii VII de societatis scilicet humanae instauratione rex Demetrius Zvonimirus non solum benevole amplexus est, sed etiam quam maxime expedite executioni mandavit.

Cum autem rex Zvonimirus morte functus fuerit non leves circa eius successorem dissensiones sunt exortae. Affinitatis enim speciem cum regali Croatorum familia praebentes, re autem vera accessum ad mare tutum reddere cupientes, Hungarorum reges regni Croatorum solio potiri conati sunt. Qua ex ratione bellum cum Hungaris exortum est. At bello cum nil opertum fuerit, Croatiae principes foedus « pacta conventa » nuncupatum anno 1102 cum Hungarorum rege inierunt. Vi huius pacti Croatiae regnum regni omnino independentis ac autonomi omnia iura servaverat, sola unione mere personali cum Hungariae regno agnita.

Nullo porro pacto silentio praeterire licet illud inter fideles ritus romani privilegium specialissimum a Romanis Pontificibus Croatorum genti concessum repetitisque vicibus confirmatum, vi cuius Missae sacrificium in lingua vernacula caracteribus autem in glagoliticis expressam celebrari potest. Mirum revera est quanta cum integritate fidei catholicae veritates et mores Croatorum populus puros ac inviolatos servaverit tot inter discrimina vi-

ctitans rerum: sub influxu enim ininterrupto tum schismaticorum tum protestantium per tot saecula degens, qui omnes lingua materna in liturgia utebantur. Nullo ergo modo casu factum est ut nomen « Croatus » in litteris donatariis a. 852 a principe Trpimiro ad monasterium Benedictinorum missis, nomen vero « Hrvat » in lingua vernacula in tabula commemorativa et donataria ex initio saeculi XII prima vice scriptum occurrat.

Luce igitur clarius apparet Croatorum Rempublicam ad instar Civitatis Dei institutam fuisse. Sibi enim suisque promissis et votis constans Respublica suas erga populum proprium populosque confines, erga populorum Europae communitatem in genere, erga Pontifices vero Romanae Ecclesiae in specie partes egerat. Commercium enim epistolare eius cum Sede Apostolica quam maxime insigne et sincerum fuerat. Litterae Apostolicae ad principes et reges Croatorum gentis una, et principum ac regum litterae et tabulae ad ecclesias et monasteria ex altera parte de christianitate animae populi clarissima documenta praebent. Ita v. gr. contentiones illae de investitura in Croatiae regno ne quidem memorantur. A Regni porro episcopis reformatio « in capite et in membris » Papae Gregorii VII statim et expedite evitatisque omnibus dissensionibus in opus deducta fuerat.

Quae populi, ergo ad catholicam fidem firmissima adhaesio in eaque servanda firmitas et integritas summae ergo prospicientiae, prudentiae ac religiositati principum ac regum Croatorum gentis debetur. Tanti enim pro populi vita fidei catholicae veritates et mores aestimaverunt, ut eas summam normam in institutione Reipublicae fecerint. Huius rei gratia Croatorum Respublica ipsa sola in tota paeninsula Balcanica Respublica eminenter catholica fuerat. In aliis enim provinciis eiusdem paeninsulae: in Monte Nigro scilicet et in Albaniae regionibus fides catholica sub influxu schismaticorum et mahometanorum paulatim debilitata fuerat et iis tandem locum cesserat. Nulla enim existebat Respublica fortis in his regionibus ad causas iustas fidei catholicae defendendas instituta. Ex quibus patet fidei catholicae in paeninsula Balcanica conservationem ac propagationem, a robore ac firmitate Croatorum Reipublicae dependere. Cuius arctissimae relationis ac connexionis fidem catholicam in Balcanis inter et Croatorum Rempublicam, historia teste, nostra ad usque tempora quam clarissima et abundantissima exstant argumenta.

CAMPUS SEPULCHRORUM

Propter regni Croatiae unionem cum illo Hungariae centrum vitae politicae Croatorum paulatim a regione maritima versus septemtrionem transiit, i. e. in regiones inter fluvios Savum et Dravum; quodque factum magni erat momenti pro ulteriore regni Croatiae vita. Inter duo regna unio personalis tantum viguit, et uterque populus prorsus libere et independenter secundum suas leges vivere pergebat. Quoties solium regium ob familiae regiae interitum vel quacumque ex causa vacans erat, Croati libere atque independenter regem sibi eligebant.

Unio cum Hungaris non semper prospera evenit. Rex extraneus non tantam habuit auctoritatem, ideoque vis regni defensiva diminuta est, praesertim cum Venetia, ob nimiam Aulae regiae distantiam, partes maritimas regni Croatiae avellere coepit. Gravis iniuria magnaque damna regno praefato illata sunt, cum Cruciferi a. 1202 iussu Venetianorum Iaderam (Zadar) pro Venetia expugnaverunt. Hac nequitia christianorum vicinorum Croati in sua fide minime turbati sunt. Cum terribili impetu Tatari totam Europam orientalem subiugarunt, Hungariam occupaverunt et iam in Croatiam transierunt Italiam occupaturi, fortes viri Croatiae impetum Tatarorum primi inter omnes populos Europae reiecerunt, et fere ultima hora salvam fecerunt Italiam. *Una ex praecipuis pugnis Croatorum cum Tataris locum habuit ante portas ipsius Italiae,* i. e. in Campo Cervorum supra Flumen (Fiume-Rieka), qui campus exinde recensetur in historia Croatiae *sub nomine « Campus Sepulchrorum »* atque abundanter inspiravit Croatorum litteras in posterum.

Contactus Croatorum cum Tataris alia etiam ex parte considerandus est. Croati non solum periculum Tatarorum amoverunt, verum etiam de permanenti securitate curam gerebant. Quapropter Beatus Marinus, franciscanus a Kotor ut missionarius ad Tataros pergit eisque Evangelium Christi annuntiat. Sed ab iisdem Tataris necatus est sub fine saec. XIII in paeninsula Chersonesi sicque missionem suam martyrio consecravit. Hoc ardens missionum studium, ab initio iam sanguine martyrum coronatum, posterioribus quoque saeculis manifestatur, cum Croati missionarios suos ad novum mox detectum mundum atque ad Orientem schismaticum mitterent.

Devotio Croatorum in medio aevo eorumque fidelitas Ecclesiae catholicae per totum mundum celebrata est. Proinde nihil mirum, si immortalis

Dante radiantem in exstasi S. Bernardi vultum comparat devotioni cuiusdam peregrini Croatici qui beatur facie Salvatoris in sudario Veronicae impressa (*Paradiso*, XXXI, 103-111).

Unio personalis Croatiae cum Hungaria ulteriores etiam manifestavit effectus feudalismum nempe et praepotentiam quarumdam familiarum in damnum regiae auctoritatis. Hoc modo unitas Status Croatici valde infirmatur ipsaque vis statalis paulatim decidit. Singuli illius optimates fere prorsus independenter magnas provincias regunt, propriam cudunt pecuniam, leges ferunt, et diplomata edunt. Qui si Occidenti ac centro vitae statalis vicini sunt, politica eorum spiritui Occidentis christiani concors est. Sic. v. gr. principes Frankopani in parte Croatiae septemtrionali-occidentali bella sustinent contra Tataros, deinde contra Turcas in Campo Krbava. Documentum sane optimum eorum politicae sic dictus Codex Vinodolensis ex a. 1288 est, qui iure consuetudinario innixus normas continet spiritu evangelico iustitiae, tolerantiae ac veniae prorsus imbutas, et toto caelo a codicibus illius temporis orientalium vel Germanorum differt. Si vero principes longe a centro vitae statalis distant, ut v. gr. in provincia Bosniae, potestas Status in eorum territoriis vix sentitur et illi a recta via facile aberrant. Bosnia iam ab exordiis partem Croatiae constituit.

Una cum Croatia, Bosnia quoque, Hungariae unitur. Sed propter nimiam a centro gubernationis distantiam, propter praepotentiam banorum Bosniae (Banus est institutio specialis iuridica in Croatia) eorumque in dynastiam Arpad odium, Bosnia quamvis catholica, tamen ob defectum hierarchiae ordinatae populus in rebus religionis revera derelictus erat. Post repetitas mutationes metropolitarum, dioecesis Bosniae tandem decreto regis Andreae II a. 1225 suffraganea facta est archiepiscopi Kalocsae, quod a. 1246 etiam constitutione Pontificia sancitur. Conflictus ad iurisdictionem ecclesiasticam in Bosnia obtinendam imago quaedam politicae regum Hungaro-Croaticorum est, qui, vi unitiva regni Croatiae collapsa, Bosniam sibi directe subiicere conabantur.

In hisce adiunctis, inter saeculum XII et XIII nova quaedam factio religiosa in Bosnia oritur, quae in historia universali Patarenorum vel Manichaeorum vocatur, dum ex fontibus doctrinam illam in Bosnia dualisticam fuisse minime patet. Hucusque post tot conamina scientiae historico-theologicae clarum non est, in quo revera doctrina Patarenorum Bosniae vel « Bonorum christianorum » — uti seipsos vocabant — constiterit.

Quidquid vero de doctrina « Ecclesiae Bosniensis » sit, hoc certe dici potest: si illo etiam tempore Respublica Tomislavi et Zvonimiri fortis ad oram Adriatici exstitisset, certe in Bosnia haeresis non fuisset aut si qua fuisset, non ita late populum seduxisset.

Itaque Bosnia paulatim abalienatur a communi Statu Hungarico-Croatico, fit independens sub potentibus banis familiae Kotromanić, qui ab a. 1377. Bosniae reges facti sunt. Familia Kotromanić sincere catholica erat et religionem catholicam in suo regno tutam reddere volebat, sed incapax erat. Saec. XV novus hostis isque periculosissimus ad fines status apparuit, Tur-

cae. Bosnia, internis discidiis religiosis et simultatibus iam valde attenuata, impetus Turcarum tam acres diu sustinere non potuit et sub Turcarum potestatem cadit a. 1463. Patareni religionem Mahumeti accipiunt. Hic casus unicus recensetur in historia Croatorum ubi maior populi coetus religionem catholicam deserit. Causam iam vidimus, id est: unio Croatiae cum Hungaria. Si status Croatiae unitus et fortis remansisset, certissime numquam in Bosnia talis res accidisset sicut et postea tempore reformationis protestanticae non accidit. Tunc, etsi Croatia ob Turcarum expugnationes ad « reliquias reliquiarum » erat restricta, tamen fortiter sub potestate bani Croatiae stabat et « reformatio protestantica » non obstante propagatione acerrima, nullum plane habuit successum.

Ultimum regem Bosniae, fidelem catholicum Stephanum Tomašević in Jajce Turci capite truncant, in eadem civitate, in qua diademate a Pontifice misso coronatus est. Regina mater Catharina dolens sortem filiorum Constantinopolim deductorum, Romam confugit. Sub tutela Pontificum Romae sancte vivebat et in ecclesia Arae coeli sepulta est. Ordo Fratrum Minorum, cuius fidelis tertiaria, eam beatam colit. Regni Bosniae, nisi filii, ad islamismum amplectendum coacti, ad fidem catholicam redirent, Sedem Apostolicam heredem constituit.

Eodem tempore, cum auctoritas regum Croatiae tam attenuata esset, in extrema meridionali parte civitas Dubrovnik (Ragusa) cum territorio adiacenti independentem creavit Rempublicam, quae usque ad Napoleonem, i. e. sex fere per saecula floruit. Respublica Croatorum Dubrovnik immediatas habuit relationes cum reliquo mundo catholico; in ea hierarchia ecclesiastica ordinata erat ideoque *Dubrovnik figuram optimi Status christiani* accepit, quae non solum mater exstitit bonarum artium ac cuiusvis cultus et humanitatis, verum etiam insignis patrona religionis catholicae in paeninsula Balcanica *Respublica Dubrovnik centrum quoddam exstitit missionariorum pro iis terris christianis paeninsulae Balcanicae, quae sub Turcarum erant potestate. Reliquiae catholicismi in Bulgaria et Macedonia post tot vicissitudines historicas usque hodie servatae, protectioni Duvrovnik magna ex parte debentur.*

Respublica Dubrovnik utpote vera statalis creatio populi Croatici tota sua existentia illum comprobat factum, scilicet, quod catholica religio in parte septemtrionali-occidentali paeninsulae Balcanicae exsistere et in ulteriores Balcanorum partes promoveri naturaliter ope fortis atque independentis Status Croatici potest.

ANTEMURALE CRISTIANITATIS

Recentioris aetatis exordia, quae populorum christianorum occidentalium animo latissimas innumerabilesque evolutionis vias aperuerunt, populum Croaticum in fatalibus luctis cum Turcis invenerunt; et dum in Occidente populi inter se contendunt, quo maiora pulchrioraque scientiae atque artis opera crearent, Croatia conscia sibi missionis suae, libenter offert se ipsam in sacrificium et fit contra Turcarum invasiones *scutum saldissimum et antemurale christianitatis,* sicuti eam iure meritoque Leo X appellaverat.

Primae irruptiones Turcarum in Croatorum fines inceperunt medio saeculo XV tantum, sed Croati iam apud Kosovo, anno 1389, habuerunt cum Turcis prima certamina, quando Serbis auxilio venerunt, nec non apud locum Varna, anno 1444, ubi etiam Croatorum et Hungarorum rex Vladislaus cecidit.

Post expugnationem Bosniae, anno 1463, et Herzegovinae, anno 1482, Turcis facilis aditus in Croatiam occidentalem patebat, ubi anno 1493 in campo lingua vernacula dicto Krbavsko exitiale proelium male pugnatum est, quando etiam primi optimatum nostrorum ad 10.000 nobilium mortem gloriosam occubuerunt. Attamen Croatia etiam post hanc terribilem pugnam non versabatur in extremo vitae agone, nec fracta visa est sicut religiosis luctis debilitata Bosnia vel orthodoxae Balcanorum Civitates. Ipsa etiamsi gravi vulnere affecta, conservavit animum suum intactum atque indomitum; servaverunt enim illi vitam filiorum eius amor erga paternos Lares catholicamque religionem, nec non sensus mutuae illorum unionis et ligaminis, tunc quando hic unionis sensus in reliqua Europa saepe deerat. In hoc enim per difficili discrimine totus populus Croaticus unanimi consensu unam aciem unumque agmen constituebat.

In proelio dein apud campum Mohacs, anno 1526, occisus est quoque Croatorum et Hungarorum rex Ludovicus II, relinquens regnum sine successore; Turcae autem maiorem partem Hungariae iam occupaverant. Croati tunc eligerunt sibi regem principem Ferdinandum, Austriae ducem ex domo Habsburg, dum e contra maior Hungarorum pars partes Ioannis Zapolya sequebatur. Croati enim melius honorabiliusque duxerunt eligere sibi regem alicuius Status catholici ducem, qui eis adiutorio esset in luctis cum Turcis,

quam sequi vasallum Turcarum Ioannem Zapolya, etsi accedere Zapolyae erat eligere pacem, sed influxum Turcarum pati; stare autem cum Ferdinando significabat « pro aris et focis Deo propitio » decertare.

Hoc vero motivum saepissime repetitur in historia Croatica. Ita Banus Croatiae Ioannes Karlović, optimatum Croatorum ditissimus maximusque, initio saeculi XVI, in maximo discrimine bis tributarius Sultani effici conatus est, sed statim intelligens errorem suum recessit, maluitque exulis vitam eligere, quam privilegiis vasallorum Turcarum uti. Noster vero Leonida-Nicolaus Zrinjski defendens oppidum Szegeth anno 1566 potius elegit morte gloriosa perire, quam accipere a Solimano Magnifico condicionem propositam scl. ut eius nomine Croatiam regeret. Simili modo ut optimates agebant etiam plebei, qui, duce Matthia Gubec, iustis ex rationibus et pro iuribus suis fundamentalibus seditione concitata adversus iniquos dominos, non sunt obliti Patriae suae, quia in eorum rebellionis ordine rerum expressa erat voluntas « defendere propriis viribus Croatiae limites ».

Turcarum expansionis versus Europam principales viae per Croatiae fines ducebant ad Vindobonam, magnum centrum politicum tunc temporis orbis christiani, et usque ad Italiam et Romam, totius Ecclesiae catholicae centrum spirituale. Turcarum exercitus bis pervenerunt usque ad Vindobonam, tamen per Hungariae fines, at Italiae nunquam valuerunt appropinquare, quia Croatorum copiae semper illis obstabant.

Haec impar lucta Davidis cum Goliath ducentis quinquaginta annis perduravit, et omnis collis, omne flumen et rivulus uniuscuiusque Croaticae regionis Croatorum sanguine conspersa erant. Frustra vero Sultanus poenas comminabatur; in vanum pecunia corrumpere volebat, populus Croaticus semper remansit extremorum limitum Occidentis et religionis catholicae custos fidelis. Huic exitiali certamini interfuit totus populus cum suo clero. Ita Petrus Berislavić, episcopus et Croatiae Banus vitam pro Patria in proelio cum Turcis apud locum Korenica, anno 1520 dedit. Defendendo Clissam a. 1537 cecidit una simul cum suis canonicis Ioannes de Dominis, episcopus Segniensis. Arcem autem Sisciam prope flumen Savum defendebant canonici capituli Zagrebiensis. Saeculo XVIII in expellenda nostris ex regionibus potestate Turcarum eminebant Lucas Ibrišimović, Ordinis S. Francisci et sacerdos Marcus Mesić.

Partes populi Croatici in hac immani ac impari lucta cum Turcis erant magnae et perdifficiles. Deperdita sunt opera artis et culturae immensi valoris et incendio perierunt in tota regione permultae ecclesiae veluti holocaustum in ara Dei. Croatia mutata erat in castra et campum belli, *ecclesiae vero in feminarum liberorumque refugia* tempore certaminis vel periculi eius. Omnis generis milites et auxiliares, ex omnibus orientalibus populis mahumetanae potestati subiectis, conscripti, per tria fere saecula per terram Croaticam ad Occidentem versus prorumpebant, vel saltem, impetum facientes in praesidia confiniorum, omnia devastabant. Hoc tempore populus Croaticus immani multorum virorum detrimento plus quam dimidium suarum virium amisit, quod damnum augebatur crebris populi migrationibus

et quod peius erat populus quotidianis Turcarum depredationibus in servitutem depellebatur. Has tristes condiciones redolent etiam opera litteraria idtemporis. Ita habemus primum opus artis dramaticae initio saec. XVI (bani Croatici iuvenis filiae in captivitatem depulsae historiam narrans) nostrumque primum poema typis editum « Iudita » (1521), ubi revera describitur lucta Croatiae cum mahumetano Holoferne. Auctor « Iuditae » tota Europa notus Marcus Marulić composuit etiam « Orationem contra Turcas », misitque epistolam ad Adrianum VI de calamitatibus occurrentibus et exhortationem ad communem omnium christianorum unionem et pacem. Ex hoc tempore deinceps omnia opera litteraturae Croaticae redolent hanc exitialem luctam inter crucem Christi et mahumetanorum vexilla.

Marinus Sanudo Venetiarum historicus affirmavit mahumetanos usque ad annum 1533 tantum in servitutem abduxisse plusquam 600.000 Croatorum. *Viri autem statisticae peritissimi invenerunt populum Croaticum hodie aequaret numerum populi Angliae, nisi in his tremendis luctis cum fortioribus mahumetanis, immensum mare sanguinis Croatici offerre debuisset,* nam quando potestas mahumetana ad summum fastigium evecta erat, octava pars Croatiae tantum libera remansit, quae illis tristibus verbis a Comitiis Croaticis « Reliquiae reliquarum inclyti olim regni Croatiae » appellata erat. Innumerae epistolae atque opuscula exstant in quibus Croatiae optimates atque ecclesiastici principes vividis verbis exponunt Croatiae tunc temporis deplorandas condiciones, in quibus pari tempore commonebant reliquam Europam ad imminens periculum, nisi populo Croatico in adiutorium succurreretur. Huius rei testis potest adduci B. Zane, archiepiscopus Spalatensis eiusque verba quae in Concilio lateranensi V habuit. Ipse enim ita condiciones Croatiae depingebat: « Filios a complexu parentum, infantes a matrum uberibus eripiunt, uxores in virorum conspectu violant, virgines a matrum amplexu in hostilem libidinem rapiunt, senes parentes tanquam inutiles in filiorum oculis trucidant, iuvenes sicuti boves aratro iungunt, et terram vomere vertere cogunt... Haec a me, Sacratissime Pontifex, sapientissimi Patres, non tamquam audita vel lecta, sed certe visa sunt repetita. Vidi ego oculis propriis, vidi, inquam, eos usque ad suburbia Archipraesulatis mei Spalatensis, et illius miserrimae urbis Spalati (Split) depopulantes omnia, igni ferroque devastantes, et in miserabilem captivitatem utriusque sexus filios Tuae Sanctitatis et meos abducentes. Viderunt et haec in urbibus suis duodecim suffraganei eiusdem Sanctitatis Tuae et mei... Saepe Pater Sanctissime, et saepius ego (o me miserrimum et infelicem!) divinis officiis assistens coactus sum cappam indumentaque pontificia dimittere, arma sumere, ad urbis portas percurrere afflictumque populum Spalatensem... solari, animare, et adversus sanguinem nostrum sitientes assurgere ».

Fides in Christum tantum poterat dare Croatis tam magnas laudabilesque vires, quae in his diuturnis imparibusque luctis sole clarius emicuerunt. Omnium horum cruciatuum quos gens Croatica ferebat, necnon imminentis periculi toti Europae Romani Pontifices veram notitiam habuerunt, qui, ut

verum confiteatur, populo Croatico pluries praesto erant, quo adiutorio, etiamsi re saepe parvo, magnum tamen solatium viris in hac difficili lucta occupatis, allatum est.

Has ob condiciones nil mirum quod vires regni Croatiae valde debilitaverint et Respublica Venetiarum partes ad mare adiacentes facile suae dicioni subiecerit, regesque autem ex domo Habsburg regiones Croatiae tamquam confinium militare constituerint, id est corpus separatum sub iurisdictione militari, avulsumque ab iurisdictione Bani et Comitiorum Croaticorum.

Potentia militari Turcarum debilitata et praesertim post victoriam apud Vindobonam 1683 christiani castra movere coeperunt, ut Turcas illuc, unde venerunt, repellerent. Tunc, proh dolor, Aula Regia Vindobonensis nil fecit, ut regiones Croaticas, propter bella devastationesque saeculares divisas, uniret, captivasque liberaret. Immo, quod deterius pro populo Croatico erat, remansit « confinium militare », unde Monarchia posset libentius milites conscribere ad sua bella per totam Europam ducenda.

Tendentia centralistica et nisus in germanizationem vertens Aulae Regiae Vindobonensis maxime eluxit post exstirpationem maximorum Croatiae optimatum Zrinjski et Frankopani (1671). Optimates enim iam maxima ex parte in luctis cum Turcis ceciderant, reliqui nunc, exstirpatis his duabus familiis, amiserunt suos fortissimos duces, et ita regimini absolutistico Aulae Vindobonensis in Croatiam aditus facilis patebat. Revolutionis Gallicae tantum influxu et nisu renascentiae nationalis, qui suum apicem consecutus est victoria militari Bani Croatiae Jelačić anno 1848, populus Croaticus valuit iacere fundamenta recte solvendae suae Constitutionis statalis in Monarchia Habsburgensi. Hac solutione inter Austriam et Hungariam anno 1867, et inter Croatiam et Hungariam anno 1868 statuta erat condicio politica et iuridica terrarum Croaticarum, sed non etiam pari modo totius populi Croatici; cuius rei causa hae solutiones populo acceptae non erant, immo occasionem luctis politicis dederunt, quas populus Croaticus usque ad annum 1918 strenue ducebat. [1]

Tendentiae centralisticae Aulae Vindobonensis et gubernii Hungariae, sustineri non poterant, eo vel magis quod totus populus Croaticus tunc morali-

[1] Regiones populi Croatici enim hoc modo divisae erant:

a) partem faciebant terrarum Coronae Sancti Stephani Hungarorum: regnum Croatiae et Slavoniae cum Bano et Comitiis Croaticis; Civitas « Flumen » (Rieka) pertinebat Coronae S. Stephani, sed ut « corpus separatum »; regio inter flumina Dravum et Muram inter Hungariae confines numerabatur;

b) Regnum Dalmatiae cum terris quibus Venetiarum Respublica tempore bellorum cum Turcis dominabatur cum territorio Reipublicae Regusinae vocem habebat in Comitiis Vindobonae (Reichsrat);

c) Regio Bosniae et Herzegovinae, occupata atque annexa Austriae anno 1908, ut separatum corpus administrativum tenebatur. Insuper populus Croaticus in Monarchia Habsburgensi incolabat maiorem partem Istriae, nonnullasque partes Hungariae (Bačka) et partem Austriae (Burgenland).

ter unitus consciusque suorum naturalium iurium ea in praxim deducta videri postulabat. Nec gubernium Aulaque Regia Vindobonensis, nec gubernium Hungariae hanc evolutionem necessitatesque historicas satis intellexerunt, sicut etiam recte non perpenderunt quam valido adiutorio populus Croaticus fuerit in defendenda Monachia Danubiana. Hac de causa bello 1914-1918 finito, Comitia Croatica omnia ligamina iuridica inter Croatiam et Monarchiam soluta proclamaverunt.

ADVENAE

Bella et dominatio Turcarum in vitam populorum Statuumque Balcanicorum profunda impresserunt vestigia. Alii tamen effectus in Croatia catholica, alii vero in regionibus orthodoxis consecuti sunt.

Omnes Balcanorum Respublicae, altera post alteram, primo fortiori Turcarum impetu extinctae sunt. Croatia vero ultro persistebat dum maior Hungariae catholicae pars, una cum civitate Buda, regali sede, iam altero fere mediante saeculo miseram vitam sub Turcarum servitute agebat. Pars septemtrionalis-occidentalis Croatiae, conatibus dynastiae firmiter resistens, independentiam, iura et signa Regni strenue conservabat. Orthodoxi vero Balcanorum populi, solutis Sultano vectigalibus (harragj et djissia) copiisque auxiliaribus suppeditatis (sic dictis martologis i. e. «armatis» sive achingis i. e. «depredatoribus»), misera quadam pace guadebant, dum Croati e contra per 400 annos formidabilem impetum Imperii Othomanici sustinebant. Duce bano Ioanne Talovac Belgradum, a Sultano Amuratho II a. 1440 obsessum, efficaciter defenderunt. De quinque magnis Solimani Magnifici adversus Hungariam et Vindobonam incursionibus, soli Croati duas frustraverunt (Nicolaus Jurišić a. 1532 apud Köszegh et Nicolaus Subić Zrinjski apud Szegeth 1566). Ipsi etiam pugnae gloriosae apud Lepantum interfuerunt. Eodem tempore, dum reliqui Balcanorum populi, etiamsi libertate politica destituti, numero crescebant, Croati, sive in patria dimicando sive ex patria versus Occidentem emigrando (in agrum Vidobonensem, in Burgenland, in Moraviam, in Aprutium Italiae provinciam, etc., ubi eorum descendentes ex parte etiam nunc temporis linguam nationalem conservant) peribant. Papa Sixtus V Grottamari natus profugorum Croatorum proles est.

In devastatas Croatiae regiones numerosae gentes orthodoxae religionis, in documentis constanter Valachi (Maurovalachi, Morlacchi) nuncupatae, venerunt, qui mixtum quoddam de elementis antiquo-Romanorum, Albanorum, Serborum, Bulgarorum et Graecorum erant. Illi in populum Croaticum Turcis ipsis crudeliores erant. Saepe saepius acta Dietae Croaticae nec non diversa alia scripta de eis amare conquerebantur. «Hos infestiores hostes toleramus quam ipsos Turcas» scribit fr. Nicolaus Ogramić, episcopus Bosniensis, Sanctae Sedi a. 1676, re vera repetens opinionem communem istius re-

gionis catholicorum. Etiam ipse Ogramić 25 annos postea victima praedonum Valachorum cecidit.

Ortodoxi Balcanorum modum quemdam vivendi cum Imperio Othomanico iam ab initio occupationis Turcicae invenerunt. Quod, ut recte intelligatur, luce paucorum factorum illustrandum est.

Splendor Byzantii imperatoris Othomanos fascinavit. Tria naturam specificam Byzantii constituebant: Imperator, Patriarcha et Populus. Sultanus impertori successit, reliqua vero eadem remanserunt. Huius rei gratia Sultanus mutuam patriarchae collaborationem requirit consensumque populi Byzantini. Defuncto imperatore de more erat, ut patriarcha successorem eius populo praesentaret.

Constantinopoli, « Urbe a Deo protecta » a Turcis expugnata, Mahometus II statim clero Graeco imposuit, ut loco patriarchae, qui in Bulgariam fugerat, novum eligerent. Neoelectus patriarcha Gennadius II, olim in Florentino concilio indefessus unionis fautor posteaque eiusdem acerrimus adversarius, solemnem investituram secundum anticum ritum Byzantinum a Sultano ipso recepit. Verba caerimonialis in ore imperatoris islamici mirum in modum sonabant: « Sanctissima Trinitas, quae mihi Imperium contulit, te quoque ad dignitatem Patriarchae exaltat ». Accepta e Sultani manibus potestate patriarcha maximas gratias egit, dum chorum consuetum canticum liturgicum « Εἰς πολλὰ ἔτη, Δέσποτα » ore pleno cantabat. Paulo post Gennadius II, a primatibus Turcicis in solemni caena circumdatus, a Sultano « infinitas promissiones » recepit (Phrantses, *Chronicon Maius,* in: Migne, *Patrologia Graeca,* vol. 156, col. 894-95).

Licet patriarcha, investitura ab imperatore infedeli recepta, profunde humiliatus sit, tamen, altera ex parte, emolumentum haud despiciendum consecutus est. Ecclesia Graeca amplissimam autonomiam efficaxque subsidium auctoritatis Othomanicae sibi tutum reddidit. Patriarcha unus ex supremis dignitariis Aulae imperialis factus est, episcopique orthodoxi gradum « pascae » Turcici consecuti sunt. Hierarchia dissidens potestate iudiciaria in orthodoxos gaudebat, eosque, in quantum culpae reos, non solum in causis civilibus sed etiam partim et in criminalibus ad poenas pecuniarias, carcerem, flagellationem vel terribilem galerae servitutem condemnabat. In exequendis sententiis Ecclesia Graeca brachio saeculari Turcico constanter utebatur. Quod praesertim in colligendis censibus ecclesiasticis numquam non pratermittebatur. Sicut antea imperatores Byzantini ita et Sultanus a patriarcha quaerere solebat educatores magistrosque ad prolem masculinam educandam.

His praemissis facile intelligitur orthodoxos in Aula imperiali uti « fideles subditos » consideratos fuisse similiterque omnes ecclesias in Othomanico Imperio constitutas et a Sede Romana independentes.

E contra vero Ecclesia Catholica numquam talem favorem taliaque privilegia sub dominio Turcico consecuta est. Immo vero Romanus Pontifex pro maximo maximeque timendo Turcarum adversario habebatur, catholici autem tamquam « elementum infidum » omnique conatu, praesertim in finibus Imperii, reprimendum censebantur.

Anno 1557. Patriarchatus Serbicus in urbe Peć (Ipek) a Turcis denuo restitutus est ad mutuam tum imperi tum ecclesiae orthodoxae utilitatem. Hoc sui generis concordatum secundum opinionem noti historiographi Serbici St. Stanojević maxime proficuum fuit tum ecclesiae tum populo Serbico.

Eodem anno Zagreb (Zagabria) urbs capitalis Croatiae proclamata est. Una ex parte Croati ultimos et quasi desperatos conatus faciebant limitem ponendi inundationi islamicae. Alia ex parte Imperium Othomanicum, internam forsitan debilitatem praesentiens, pactum cum ecclesia Serbica iniebat contra christianismum occidentalem.

Duo adversarii principales, Zagreb et Peć, tunc vix plene conscii, quanti momenti sit eorum propositum, invicem contendere incipiunt: Zagreb ut arx catholicismi Romani in partibus Balcanorum occidentalibus et Peć sedes ecclesiae Serbico-Byzantinae renovatae. Sed et Zagreb et Peć suum proprium programma politicum significabant: Zagreb propugnabat Statum liberum Croaticum, et Peć volebat sub ecclesiae protectione extinctum Serbicum Dušani regis Imperium restituere. Cum Imperium Othomanicum versus Occidentem in fines Croatiae magis magisque prorumpit atque dilatatur et in regiones devastatas colonos orthodoxos inducit, hoc elementum novum in Croatia, duce autonoma ecclesia Serbica, cum eius de Serbico Statu renovando conceptione, omnes Serbos contenente, magis magisque fit problema gravissimum pro ipsa religionis catholicae existentia atque populi Croatici.

Pressio ecclesiae Serbicae maxime in latis Bosniae regionibus sentiebatur in quibus usque ad invasionem Turcarum nulla dioecesis orthodoxa immo nullum monasterium dissidens existebant. Suis privilegiis freta ecclesia Serbica catholicos opprimere cepit. Ab anno 1488 usque ad a. 1779 episcopi dissidentes ope tribunalium Turcicorum brachiique saecularis catholicos vectigalibus suis subducere eosque ad ritum orientalem cogere studebant. Quot inde mulctae extorsae quotque patres Franciscani taedio affecti vel in carcerem detrusi! Episcopus Bosniensis Dobretić a. 1777 lamentabatur:

« Nos in istis infelicibus provinciis inter Turcas et, quod peius est, schismaticos commorantes, ab illis ultimis in tribunalibus ita calumniis afficimur, ut nec ipsa in inferno daemonia similia excogitare possent eo fine ut nos sibi subiicerent nostraquae loca in plenam miseriam detruderent ».

Hae oppressiones ex parte ecclesiae orthodoxae explicationem praebent, cur in Herzegovina orientali aliisque regionibus finitimis fideles ab Ecclesia catholica defecerint. In ista terra monasteria Serbo-Byzantina demum saeculis XVI et XVII sub dominatione Turcica oriuntur. Dum episcopus catholicus, a principe regnante Serbo a sua sede expulsus, Stagni non existebat dumque episcopus Tribuniensis, persecutionem Turcarum evitans, in territorio libero Reipublicae Ragusinae (Dubrovnik) commorabatur, orthodoxi paroecias catholicas occupant et ecclesias rapiunt. A. 1628 episcopus Andrijašević Romam nuntiat ex 12 ecclesiis in Popovo septem iam a dissidentibus abreptas esse.

Grex catholicus, suis pastoribus privatus, sacramenta a sacerdotibus orthodoxis recipere incipiebat et Sultani iussu vectigal ecclesiae Serbicae sol-

vebat. Sic paulatim sensim sine sensu in schisma prolapsus est. Veram rationem istius vectigalis episcopus Tribuniensis P. Antonius Primi O. F. M., a. 1674 S. Congregationi de Propaganda Fide refert affirmans episcopos orthodoxos ope Turcarum a catholicis decies maiora vectigalia extorquentes dicere: « Solvetis ita usque dum ad nostram ecclesiam transeatis ». Tali modo magna pars antiquae dioecesis Tribuniensis ab orthodoxis absumpta est.

Serbi more Byzantino ecclesiam et nationem ut aliquid unum considerantes omnes qui ad ecclesiam Serbo-orthodoxam pertinebant « Serbos » declararunt. Tali modo illa varietas orthodoxa in ambitu dictae ecclesiae tempore nationalismi renascentis Serbica facta est.

Re vera in finibus Imperii Othomanici ecclesia S. Sabae quaedam Respublica Serborum theocratica constitit. Hoc Imperium, suos fines elargiens, etiam confinia ecclesiae Serbo-orthodoxae dilatabat in illas quoque partes Croatiae quae sub Turcis gemebant. Ex tali auctoritate theocratica etiam Status Montis Nigri ortus est. In Croatia autem et Hungaria 15 eparchiae et 70 monasteria orthodoxa, principalia ideae nationalis Serborum propugnacula, fundata sunt multisque privilegiis aucta. In finibus eorum, olim ex integro catholicis, non pauci incolae in schisma prolapsi sunt. Similia in confinibus Bulgariae repetuntur.

Decadente Imperio Othomanico patriarcha Arsenius Crnojević cum, uti dicitur, 30.000 familiis Serbicis in Syrmium et Hungariam meridionalem migrat, simulque ideam Status Serbici ad illas quoque regiones extendit. Aula vero Vindobonensis, suum adagium « Divide et impera » fideliter sequens, novo hoc elemento immigrato tamquam pretioso instrumento politico utebatur ad eludenda iura aspirationesque veterum incolarum, praesertim Croatorum, vel etiam viceversa, si necessitas hoc exigebat.

Parlamentum Croaticum iam a. 1764 hoc immane periculum clare perspexit et in sua quasi prophetica epistola ita definivit: « Timore fundato implemur, ne progressus huius magni corporis (orthodoxo-byzantini), quod a finibus Moscoviae usque ad Mare Adriaticum extenditur, decursu temporis nationem nostram atque religionem supprimet ».

Omnia haec prae oculis habenda sunt, si mutua relatio catholicismi et orthodoxiae in dictis regionibus, Croatorum et Serborum, melius intelligi desideratur.

CROATIA PRO UNIONE ECCLESIARUM

Cum Croatiam « antemurale christianitatis » et fidei propugnaculum inexpugnabile iam descripsissemus simulque « pontem inter Occidentem et Orientem » vidissemus, non sine utilitate fore putamus quaedam de labore Croatiae pro Ecclesiarum unione promovenda proferre. Unionem enim Ecclesiarum scimus ideam praedilectam esse gloriose regnantis Summi Pontificis Pii XII, neque nos latet orbem catholicum a Croatia, in extremis Ecclesiae versus christianos dissidentes limitibus posita, exspectare opus nobile fratrum attrahendorum, quos schisma separaverat. Ut autem mundus catholicus noverit, quid Croati saeculo praesertim elapso pro unione fecerint, breviter tum opus unionis promovendae tum fata ipsius unionis in regionibus, ubi Croati Serbis vicini vivunt, attingemus. Quaestiones quaedam ita melius intelligi poterunt, praesertim quia catholici plerumque aestimabant bonum esse Croatos in eadem Republica cum Serbis dissidentibus vivere.

Croati unionis operarii erant iam ab initio vitae suae politicae. Ea, quae pro defendenda fidelitate sua erga Petri Sedem fecerant, admiratione digna sunt, nam difficillima quaeque passi sunt et tentationes omnes superaverunt, quae eos a Roma avellere conatae erant. Non minore splendent fulgore eorum opera, ut Ecclesia apud alios firma esset. Ita qui in terris Balcanorum catholici manserunt, aut originis Croaticae sunt, aut dici potest, Croatorum studio et opera fideles perseveraverunt. Missionarii Croatici terras vicinas peragrabant; sacerdotes eorum, praesertim franciscani provinciae Bosniae, operam navabant indefessam, ubicumque in Balcanis et in Turcarum Imperio clerus deerat: ita franciscani Croatici reliquias « paulicianorum » Bulgariae, quorum posteri hodierni Bulgariae catholici sunt, in Ecclesiam adduxerunt. Respublica Croatica de Dubrovnik (Rhagusa) iam a fine saeculi XIV legationem habebat apud Turcas coloniasque in urbibus Balcanorum praecipuis, et sacerdotes suos ac sacella catholicis in mari dissidentium et mahumetanorum dispersis promptissime offerebant. Eodem modo negotiatores et consules Croatiae fidem tuebantur. Croati a Summis Pontificibus delegati, visitatores apostolici, dioecesium episcopi eligebantur pro terris Orientis vicini. Ita episcopus Zmajević, Croatus, concilio nationali Albaniae 1701 praesidebat. S. Congregatio de Propaganda Fide non paucas a Croatis habuit propositiones in bonum fidei praeservandae. Operum horum fructus non dee-

rant: in finibus Croatiae libere quotquot exstiterunt dissidentes sub finem saeculi XVII ad unitatem redierunt et tres dioeceses constituerunt, quarum illa de Križevci usque ad nostros perseverat dies, dum patriarchae Serbici et Vindobonae ratio agendi inepta alias duas perdiderant. Dioecesis de Križevci martyres numerat permultos: quorum laudes concinne conscripsit hodiernus Praesul Mons. Dr. J. Šimrak, et ipse ab hostibus Ecclesiae multa perpessus. Paulus Zorčić († 1685) inter praesules de Križevci eminet ob amorem Ecclesiae et ob opus unionis.

Croatia linguam vernaculam in liturgia ritus Latini conservavit, licet difficultates magnae saepe superandae fuissent. Eam sacerdotes Croatiae primum in Bohemiam, deinde in Poloniam propagaverunt, ut unionis apostolatum ita promoverent apud dissidentes Slavicos. Nostris quoque diebus privilegium tale in liturgia ritus Latini attentionem auctoritatis ecclesiasticae moeretur et fama est, pro quibusdam Asiae regionibus quid simile praeparari ab Ecclesia.

Inter apostolos unionis Croatia maiorem non habuit sacerdote Georgio Križanić (1618-1683), quem P. Pierling (*La Russie et le Saint-Siège*) « dilettantem apostolatus, sed dilettantem genialem » vocat, dum V. S. Solovjev (1853-1900) eum magistrum suum esse affirmat seque tantum « Amen » dicere ad ea, quae Križanić de unione scripserat. Ut unionem Russorum cum Ecclesia promoveret, bis in Russiam profectus est et unionem proposuit imperatori auctoritatibusque ecclesiasticis dissidentibus accipiendam. Gelidissimam expertus est Siberiam (1661-1676), at in ea spem unionis obtinendae non amisit: opera scripsit praeclara, in quibus de Russiae cum Roma reconciliatae vocatione disseruit. Unionem Russiae maximi faciebat: nam, putabat, Russia reconciliata, iam quaestionem ailorum dissidentium non positum iri. Solutionem hanc proponebat: Romanum Pontificem Russi agnoscere debent, ceteris omnibus immutatis manentibus. Križanić in unionis quaestionibus ne Allatio quidem secundus, in exercitu Poloniae sub moeniis Vindobonae pro fide Christi adversus Turcas ceciderat, quin fructum ullum operis sui pro unione viderit.

Saeculo elapso, cum vita spiritualis Croatiae novas vires acquisierat, opus unionis inter praecipua merita Croatorum numerandum est. Pius IX et Leo XIII opus id fervide commendabant. In Croatia quaestio ope « motus Illyrici » praeparabatur. Dux operis erat Mons. Strossmayer (1815-1905), quem Solovjev amicum habuit et adiutorem (*La Russie et l'Église universelle*). Ille Croatiae vocationem pro unione fovenda e dotibus populi Croatici deducebat: soli inter Slavos catholicos Croati ritum Latinum et linguam vernaculam in liturgia habebant; saeculorum decursu fideles Petri Sedi manserunt; a Providentia in confinibus dissidentium positi sunt: ita fratres separatos adducere in sinum Ecclesiae et discidii illius funesti inter Romam Byzantiumque, Occidentem et Orientem, catholicos et schismaticos finem praeparare poterunt. Finem imprimis religiosum prosequebatur, at ex eo etiam emolumentum non parvum sperabat fore, ut conflictus Croatorum et Serborum mitigaretur. Collaborationem populorum Slavicorum ope unionis auctum iri sperabat pro bono Europae et Ecclesiae, et ex ea nullum damnum pro singulorum populorum


fine proprio timebat. Spiritu libertatis catholicae opus Strossmayeri animabatur: ille Croatiae merita in unione efficienda Croatis ipsis sperabat fore ut proficerent. Viri quidam non parva gaudentes auctoritate Strossmayeri principia fecere sua in politica agendi ratione inter Croatos.

Anno 1851 administrator apostolicus catholicorum in Serbia a Sancta Sede nominatus est, et munus suum retinuit usque ad 1896. Iam ab initio episcopatus sui unioni propagandae totum se dedit. In Bulgaria fratres Miladinov, quorum collecta carmina popularia Macedonum propriis sumptibus typis vulgavit, unionem cum Roma amplexi sunt. Unionis vigor in Macedonia Bulgariae, apud urbem Kukuš, ubi plura dena milia dissidentium cum sacerdotibus suis Romam agnoverunt, spes optimas Strossmayeri nutriebat. Franciscanis Bosniae seminarium erigendum curavit, ubi apostoli unionis educarentur. In litteris pastoralibus, in sermonibus suis numquam unionem obliviscebatur. Cultum Ss. Cyrilli et Methodii, Slavorum apostolorum, toto nisu adiuvabat: annis 1867 et 1881 peregrinos Romam ducebat, ut Romanis Pontificibus gratiam ageret pro amore, quem erga fratres Thessalonicenses Slavosque habebant. Maecenatis more inter Croatos cultum humanitatemque catholicam promovebat, cum ita unionis profectum fore optimum speraret. « Academia scientiarum et artium liberarum » ab eo constituta nomen « Iugoslavicae », non autem « Croaticae » accepit, ut de episcopi amore erga omnes Slavos meridionales nullum esset dubium et ut in communi opere pro veritatis inquisitione charitas unionis cum Ecclesia Romana a dissidentibus conciperetur. Amor unionis Strossmayeri partes in concilio Vaticano quoque ducebat. Serborum scholas societatesque diversas abunde adiuvabat. Universitas studiorum in urbe Croatiae principe — Zagreb — a Strossmayer fundata veritatis benedictionem serere et desiderium unionis nutrire non desinebat. Cathedralem S. Petri in urbe de Djakovo 20 annis construebat magnificam eamque « Gloriae Dei et unioni Ecclesiae » 1882 consecravit. Cum Russi 1888 S. Vladimiri 900 anniversarium celebrassent, telegraphii ope cum eis congratulatus est, etsi propter id ab imperatore Francisco Iosepho I Austriae animadversione affectus erat. Diversos, qui unionem amplexi sunt, Russos adiuvabat, v. gr. Solovjev, Šuvalov... Operam navavit, ut Mons Niger concordatum cum Sancta Sede iniret, quod 1886 re vera initum est. Strossmayeri exemplum multi Croatiae praesules sequebantur, inter quos laude dignus est Mons. J. Stadler, Sarajevi archiepiscopus (1843-1918), qui a Romano Pontifice « commissarius unioni promovendae » pro Balcanis nominatus, et qui ephemerides *Balkan* unioni propagandae divulgare coeperat. Strossmayer liturgiae vetero-croaticae bonum semper promovens libros novos missales typis vulgavit 1893. « Pater patriae » a populo Croatiae appellatus, pallio a Leone XIII accepto 1898, admiratores, amicos, discipulos multos numeravit et plenus dierum meritorumque 1905 spiritum Deo reddidit, quin ullum fructum operis sui apud Serbos dissidentes videret.

Quid autem Serbi eodem tempore pro unione fecerint, videndum est. Ex articulis praecedentibus noveramus opus eorum, ut fidei catholicae vestigia in Serborum regionibus prorsus delerentur: ita ritus Latinorum, dogma de

Petri primatu, ex liturgia eorum evanuerunt. Versus medium saeculum XIX quidam dissidentes cum sacerdote suo in pago Kričke in Dalmatia Romanum Pontificem agnoverant, sed sacerdos a sicariis (sicuti prius quidam alii) occisus est, ut unionis conamina ita nullam spem catholicis infunderent, dissidentes vero haesitantes severissime monerentur ne quid simile conarentur. Unio quoque in Macedonia crudeliter deleta est. Ecclesia dissidens Serbica toto saeculo XIX de « periculo catholico », praesertim tempore Concilii Vaticani loquebatur. Omnia Serbiae et Imperii Russiae media Ecclesia dissidens adhibuit, ut Ecclesiae Catholicae auctoritatem diminueret. Ideo operibus, quae Croati mere profana promovebant, non adhaerebant: « motus Illyricus », qui charactere potius litterario gaudebat, nullum Serborum habuit amicum; « Academiae Iugoslavicae » Strossmayeri tantum unus alterve nomen dedit. Serbi vero sincere amplexi sunt « rationem », quam minister eorum Garašanin 1844 de orthodoxia inter catholicos Croatiae propaganda praescripserat. Serborum animos seduxit « Slavophilismus » Russicus qui Occidentem « putridum » odio habebat et morti damnatum praedicabat; Romanam Ecclesiam « haerésin Latinorum » appellabat; dissidentem Russiae Imperatorem a Deo praeelectum aestimabat, qui Occidentem deleret, Imperium universale orthodoxum et in eo regnum Serbiae, quod magnas Balcanorum partes complecteretur conderet.

Croatorum viri insignes, uti Ld. Gaj (1872) et Mons. Fr. Rački (1894) Strossmayeri consiliarius praecipuus, in Russiam profecti nullum ibi amicum invenerunt Croatorum, dum Eugenio Kvaternik (1871), libertatis Croaticae propugnatori fervido et Ecclesiae Catholicae filio fidelissimo, rationem promovendae orthodoxiae inter Croatos catholicos praescribere voluerunt! Nihil mirum, si idem Kvaternik cum adversus Austriae tyrannidem insurrexisset, a Serbis traditus et occisus fuit. Ipse Strossmayer, qui 45 annis administrator apostolicus Serbiae erat, vix semel bisve Serbiam ingredi permissus est, at ne paroeciam scholamque paroechialem Belgradi quidem erigere valuit, quinimmo Serbi a Sancta Sede et a gubernio Austriae postulaverunt, ut munus administratoris apostolici a Strossmayer tolleretur et cuidam Hungariae episcopo committeretur. Concordatum quoque cum Sancta Sede Serbia 50 annis inire studebat, et vix post belli universalis primi 1914 initium, cum iam regimen de Belgrado in urbem Niš fugerat, initum est. Luctae huius adversus Ecclesiam Catholicam fervor apparuit plenus, cum Croati cum Serbis in Republica communi — Iugoslavia — 1918 constituti essent. Adversus Croatorum opus pro unione in Ecclesia Romana Serbi « unionem » suam promovebant et Croatos in ecclesiam dissidentem adducere nitebantur. Omnia media politica, ecclesiastica, publica et privata in id dirigebantur, quo maior catholicorum numerus ad orthodoxiam Serbicam transiret. Dum ecclesia dissidens Serbica saeculi XIX ad defensionem magis aptabatur, in Iugoslavia militans evasit. Cum autem Respublica ecclesiae apud Serbos connexa sit, Serbi non tantum fidem Croatorum sed etiam nationem ipsam perdere conabantur. Ita sub nomine Iugoslaviae « Serbia Magna » latebat, quae Croatiae catholicae delendae facinus impio ausu promovebat.


AUSTRIA
HUNGARIA
SLOVENIA
ZAGREB
CROATIA
RUMENIA
BELGRAD
SERBIA
DANUVIUS
S.S.S.R.
MARE NIGRUM
MONS NIGER
BULGARIA
BYZANTIUM
ITALIA
MARE ADRIATICUM
ALBANIA
GRAECIA
TURCIA
REGIONES CATHOLICAE
REGIONES ACATHOLICAE

Discrimen inter fata unionis apud Serbos et Strossmayeri rationem agendi quod intercedat, quis est, qui non videret? Ideo opportunum putamus proferre quid Croati, qui Strossmayerum non sunt secuti, de unione et de Croatorum in ea paranda partibus cogitaverint. Animum nobilem episcopi de Djakovo fuisse nemo non confitetur, sed eum quoque saepe vagis, dubiis, impossibilibus indulsisse propositis non latebat Croatos. Ex historia Ecclesiae in regionibus Serborum fere nihil didicerat, secus scivisset catholicorum coetus maiores vel minores in Serbia mox a fide defecisse et simul a natione degenerasse, cum apud Serbos differentia nationem inter et religionem non detur, ideoque qui cum eis heterodoxi vivant, aut Serbi sint, oportet, aut vivere iam non sinantur. Viribus ecclesiae dissidentis deficientibus, ut processus hic perficeretur, adiutorium Reipublicae invocabant. Ita explicatur, cur in Serbia mahumetanos non habeamus, etsi apud alios populos Balcanorum supersunt. « Unus rex, unus populus, una religio, una Respublica » principio hoc innixa fundamentali orthodoxa ecclesia Serbica tot mala Ecclesiae Catholicae causavit in Iugoslavia 1918-1941. Quae mala Strossmayer si praenosset, unionis possibilitatem aliter cogitasset et Croatiam adversus pericula Orientis melius defendisset. Nam conatus Croatos una cum Serbis in eadem Republica constituendi ideae unionis Ecclesiarum nihil profuit immo vero maximo damno fuit. Nam toto tempore Iugoslaviae omnes vires Croatorum et Serborum aspris certaminibus in arena totius vitae publicae et privatae exhauriebantur. Certe, si Croati et Serbi in communi Statu non vixissent, sicuti numquam prius in historia vixerant, idea unionis actui incomparabiliter proprior fuisset..

Unionem imprimis opus gratiae esse nemo negabit. Pro unione vero coetuum maiorum efficienda favor Providentiae specialis requiritur. Attamen non est negligenda condicio naturalis partium, quae unioni promovendae incumbunt. In quaestione vero Croatorum et Serborum solvenda aptitudo naturalis ad unionem prorsus deficiebat. Croati et Serbi in communi Republica numquam vivebant, quoad indolem, religionem, traditionem, desideria, mundi vitaeque diiudicationem diversi erant. Vitam religiosam dissidentium Serborum flaccam esse, Serbi ipsi non audent negare. Fideles liturgiam sacramentaque neglegebant ita, ut Serbi omnium dissidentium maxime indifferentismo sic dicto imbuti evaserint. Vigor christianus eorum iam pridem evanuit, exceptis animabus electis, quas etiam apud eos invenire est. Cleri educatio defectibus laborabat non parvis. Virorum monasteria nihil vitae populi corrigendae conferebant, dum moniales prorsus deficiebant. Clerus curae animarum addictus dissolutionis internae signa indubia manifestabat, quod intellegi facile potest, cum nonnulli eorum lectores theologiae pantheismum vel atheismum aperte profiteantur communismumque amplectantur. « Operistitium » sic dictum tamquam medium acceperunt in Monte Nigro desistentes a liturgia celebranda et sacramentis populo ministrandis, cum condicionem oeconomicam suam aliter meliorem reddere non valuissent. In copiis illius « Titi » sacerdotes dissidentes non pauci muneribus funguntur diversis, v. gr. protopresbyter V. Zečević minister rerum internarum moderandarum diu erat et dena, immo centena milia insontium non solum sinebat sed imperabat trucidari. Croati cum huius-

modi vicinis vivere non potuerunt, communitatem autem ipsam damna enormia passam esse patet. Dum ante Iugoslaviae constitutionem operarii unionis in Croatia non defuerant: ut Strossmayer, Rački, Stadler, Mahnić, Marković, in Iugoslavia viri id genus non apparuerunt, nam condicio mutata erat. Damna vero fidei catholicae, apostasiae, matrimonia mixta ceteraque id genus ex communi Republica scaturientia, ex articulo sequenti videbuntur.

Quae Croati ad unionem promovendam fecerant et quomodo Serbi ad omnia Croatorum opera et conatus responderant, per summa capita retulimus. Ex quibus omnibus necnon ex natura ecclesiae Serborum orthodoxae ad haec tamquam certa concludere liceat: Ecclesia orthodoxa S. Sabae iam a morte fundatoris sui († 1236) cum natione et Statu Serborum intime coniuncta est. Ex quo evenit, ut ecclesia orthodoxa Serbica nationem et Statum Serbicum, natio vero et Status ecclesiam tamquam instrumentum propriae propagationis et defensionis adhibeant. Cum autem religio et ecclesia non minimam inter Croatos et Serbos differentiam constituant, Serbi ad unionem amplectendam parati non erunt, quousque condicio Croatorum et Serborum talis fuerit, ut vel Croati Serbos vel Serbi Croatos in propriam nationem vertere possint. In primo enim casu Serbis idem esset ac efficacissimo instrumento defensionis, in secundo vero ac illo propagationis privari.

Uterque casus maxime possibilis est, si Croati et Serbi in communi Statu vivunt. Opus ergo unionis ecclesiarum inter Serbos promovendae exigit, *ut Croati et Serbi separati in propriis Statibus vivant, saltem donec sensus nationalis Serborum margines ecclesiae transeat* (quas sensus nationalis Croatorum iam dudum transiit: inter mahometanos ex. gr. et catholicos Croatos nulla disinctio quoad sensum nationalem intercedit). Tunc demum Croati catholici omnes vires unioni promovendae (non autem sibi ipsis defendendis!) fundata spe successus dare poterunt, tunc Serbis Croatorum conatus politicae suspecti non videbuntur.

IUGOSLAVIA
(1918-1941)

Condiciones Ecclesiae Catholicae in Iugoslavia concluisones nostras supra deductas optime corroborant.

Causae, quae ad regnum Iugoslaviae creandum concurrerunt, hae sunt:

1. *Spiritus liberalismi*, qui in Europa, ab a. 1914 usque ad ortum bolscevismum, fascismum et nationalsocialismum ad occasum vertebatur et monarchiam Austro-Hungaricam destruere odio morituri nitebatur.

Magna pars virorum Croatiae cultorum illius temporis spiritu isto laborabat. In schola sic dicta realistica philosophi et viri Bohemorum politici Masaryk educati, historiam politicam populi sui, hereditatem spiritualem et traditionem catholicam contemnebant et impugnabant. Cum istae qualitates unioni Croatorum et Serborum summo obstaculo fuissent, nil mirum viros istos ideae unitatis maxime favisse.

Populus, qui in rebus adversis versatur, viam salutis vix invenire potest, si ducibus fortis ac sani spiritus caret. Talis fuit

2. *Condicio Croatiae a. 1918.* — Bello finito ante Croatiae fines duo victores steterunt, quorum Serbia terras Croaticas: Bosniam, Herzegovinam et Dalmatiam meridionalem, Italia autem: Dalmatiam septemtrionalem et Istriam vindicabant. Quae condicio eo gravior erat, quo Croatia utpote pars victae Monarchiae ipsa victa considerabatur. Quamquam ergo magni victores occidentales Rempublicam Croatiae independentem in proposito habebant («Pactum Londinense»!), tamen periculum imminebat, ne Croatia plusquam dimidiis terra populoque privaretur. In hoc gravissimo temporis momento

3. *Idea unitatis Slavorum meridionalium* non paucis Croatorum viris politicis tanquam unicum instrumentum territorii servandi videbatur: Croatia Serbiae unita, a terris suis orientalibus non separabitur. Italiae autem, quia victrici iuncta, facilius resistet. His omnibus addenda est

4. *Condicio Slovenorum.* — Ipsi minimus Slavorum populorum in meridie Monarchiae erant. Eorum quoque terram Italia vindicabat, praetextu securitatis sic dictae strategicae. Iugoslaviam unioni cum Republica Croatiae praeferebant, quia unio cum Croatia eos contra Italiae vindicationes vix salvos rederet.

5. *Unio Ecclesiarum.* — Pars cleri et virorum catholicorum cultorum, se-

cundum illud « ex omni malo aliquid boni », ideam unionis ecclesiarum in communi Croatorum cum Serbis Republica prosperos dies visuram speravit.

Ex omnibus causis allatis, maxime realis, ut patet, fuit condicio Croatiae a. 1918 in qua Croatia versabatur, quia magni victores occidentales aut nesciebant aut nolebant iuste et honeste Balcanos ordinare. Nam si scivissent et voluissent, etiam fecissent; poterant enim.

Serbi, ut vidimus, Croatorum terras anno 1918 sibi arrogabant, ideoque Iugoslaviam conditam nihil aliud nisi Serbiam auctam aestimabant. Talis conceptio sequentibus factis corroboratur.

Longe maximam partem fidelium ecclesiae orthodoxo-byzantinae gentes Slavicae constituunt, ita ut iuste ecclesia ista Slavica dici possit. Deleto imperio Byzantii, id est Romae II, Rusorum imperator unicus orthodoxus imperator remansit et Moscovia Roma III proclamatur. Sed anno 1917 bolscevicorum revolutione ecclesia Russiae in catacumbas acta et dynastia imperatorum extincta est.

Slavorum orthodoxorum Statuum Bulgaria victa et humiliata, Mons Niger dynastia et independentia privatus, unica Serbia victrix et plusquam in duplex aucta resplenduit, unica dynastiam patriae stirpis habuit, ad eam hierarchae e Russia fugati se contulerunt. Ne autem ob mortem ultimi Russiae imperatoris tumulus Christi vigilanti cura destituatur, Iugoslaviae rex titulum « Protectoris S. Sepulcri » assumpsit. Aere publico aedes sumptuosae patriarchatus Belgradi constructae sunt, quas clerus populusque « Vaticanum orthodoxiae » appellavere. At Iugoslavia nec dimidia parte orthodoxa fuit: Orthodoxia ergo in omnes partes dilatanda erat.

Constitutione Status omnes religiones aequali iure pollent. Religio ergo statalis non datur, qualis fuit ex. gr. illa orthodoxa in Serbia ante Iugoslaviam conditam. Concordatum S. Sedis cum Austro-Hungaria via facti agnoscebatur. A. 1924 archidioecesis Belgradensis creatur, quod vero per Concordatum S. Sedis cum Serbia iam a. 1914 initum, pactum erat. Pro partibus dioecesium Hungariae, Iugoslaviae adnexis, a. 1923 administraturae apostolicae conditae erant. In provincia Macedonia hierarchia catholica renovata est.

At quomodo his omnibus orthodoxia dilatari dici potest?

Spiritum Byzantii ignorantibus explicatione opus est: ut aures magni mundi occidentalis, cuius ope Iugoslavia facta est et cui foederata erat, clamoribus persecutorum praecluderet, eumque deciperet, politicam suam orientalem, aliorum cultum non tolerantem, occidentali tegumento constitutionis legumque velavit.

Archidioecesis Belgradensis quidem creatur, at ecclesiae cathedrali construendae Respublica fundum inter alias ineptissimas etiam in parte lupanarium assignabat.

Hierarchia in Macedonia renovatur, sed omnes fideles iam ab anno 1870 uniti igni ferroque exterminati sunt. Plusquam 100 familiis Slovenorum catholicorum ex Venetia Iulia oriundis terrae in Serbia (Bistrenica) consignantur, attamen eas ad orthodoxiam amplectendam coegerunt.

Lege agraria Ecclesiam catholicam latissimis fundis spoliant et eos agricolis donant, attamen 96 % orthodoxis aliunde adductis. Religiones omnes non tantum aequali iure gaudent, veruntamen et nova creatur «ecclesia videlicet Croatorum vetero-catholica», ut facilius Croati schisma et haeresim complecterentur.

Quamquam secundum censum publicum orthodoxi 46,6 %, catholici vero 39,3 % civium Reipublicae constituebant, tamen Status hac proportione ecclesiis opem ferebat:

a. 1921 eccl. orthodoxae 141.246.436 Kr., catholicae vero 10.903.993 Kr.;
a. 1922 » 161.601.026 Kr., » 13.855.268 Kr.

Revera inaequalitas ista sequentibus annis valde deminuitur, sed lege speciali ecclesiae orthodoxae damnum a saeculis subitum sarcitur eique plusquam 4.000.000.000 Din. assignantur.

«Congregationes Marianae» in gymnasiis prohibentur. Societas sic dicta «Soko» charactere semi-statali insignitur, et omnium scholarum discipuli ei nomen dare omnibus modis coguntur. Licet totus Episcopatus catholicus litteris pastoralibus fideles ab ista societate arceret, princeps regni successioni destinatus eidem societati semper praeerat.

Libri scholarum usui destinati, qui approbatione Status muniendi erant, erroribus contra doctrinam et falsitatibus contra historiam Ecclesiae catholicae pullulabant.

Matrimonia mixta, utpote efficacissimum instrumentum gregis catholici dilacerandi maxime fovebantur. *Orthodoxis praefectis militum, vi specialis decreti matrimonia mixta tantummodo in ecclesia orthodoxa celebrare licuit* (Iugoslavia 116 duces [general] habuit, quorum 1 Croatus-catholicus!). Usque ad finem a. 1940 plusquam *30 milia matrimonium mixtorum extiterunt.* Ad matrimonia ista quam maxime promovenda praepositi militibus orthodoxi, necnon personae utriusque sexus muneri Status addictae in regiones catholicas, illae vero catholicae in orthodoxas disponebantur. Cum tota politica Status ad catholicos ad inopiam redigendos directa esset, pauperibus puellis catholicis saepissime aut inuptis remanendum aut orthodoxis nubendum erat. Cuius vero politicae saltem minima pars sequentibus illustrata sit:

In moneta exaequanda 80 % valoris monetarii Croatiae et Sloveniae subtractum est.

Ad opera sumptu politico perficienda usque ad annum 1932 in Serbia 1.960.000.000 Din., in Croatia vero 280.000.000 Din. expensum est.

A. 1932 in summis Status magistratibus, ut alios omittamus, proportio haec fuit: 236 catholici (Croati, Sloveni, ceterique), 1957 orthodoxi.

Magna ex parte aere publico *ecclesiae magnificae styli Byzantini construuntur, etiam in iis regionibus ubi orthodoxi penitus deerant praeter unum alterumve magistratum vel militibus praepositum, uti ex. gr. Sušak, Ston, Ljubljana, Maribor, Celje et alibi.*

In urbe Zagreb, capite Croatiae, archidioecesis orthodoxa constituitur eique Dositej praeficitur, cuius persona iam programma erat; ipse enim plusquam 150 milia Rutenorum ecclesiae unitorum in Čeho-Slovacchia, ad schisma

reduxit. Minores coetus fidelium unitorum in Iugoslavia ad schisma amplectendum sive minis sive pollicitationibus coegebantur. In nonnullis autem Bosniae regionibus ecclesiae catholicae usurpatae et orthodoxis traditae erant (Prnjavor).

Omnibus machinationibus usi notabilem partem fidelium insulae Vis (Lissa) ad schisma labi fecerunt, et ita orthodoxiani medio in Adriatico uti pharum novi temporis constituerunt.

Cum autem cursu temporis per ecclesiam omnes orthodoxi Croatiae Serbi facti essent, et cum in Iugoslavia unica ecclesia orthodoxa Serbica S. Sabae extitisset, omnia memorata consulto contra nationem Croaticam directa erant. Cuius facti legisque historicae populus Croatiae conscius sibi melius quam ipsius viri culti sive liberales, sive catholici, unioni cum Serbia iam ante Iugoslaviam conditam renitebatur. Ideoque *Stephanus Radić* minime prophaetam, sed gnarum animae populi sui se ostendit, cum in « Comitiis nationis » a. 1918 dixisset: « Populus Croaticus Serbiae uniri non vult. Vos me irridetis. Non longe abest dies, quo totus Croatorum populus me sequetur ».

Revera Radić « Ruralem factionem Reipublicae Croatorum » condidit, cuius programma politicum: Independens Respublica Croatorum fuit, quaeque totum populum in suas partes attraxit. Consequenter Radić Belgradum adire nolebat, Parisios, Londinum, Moscoviam quoque visitavit. Ipse « Societati Nationum » Genevae a. 1922 obtulit documentum a centenis miliis Croatorum subscriptum, libertatem Croatiae petens. Cum autem haec revisioni « Pacti Versailles » initium daret, rapraesentantes magnarum potestatum consilium ei praebuerunt, ut conditionem Croatiae, servata Iugoslavia, meliorem redere conaretur. His consiliis obtemperans Belgradum petiit ibique *in ipsis « Comitiis Status »* (Parlament) *una cum duobus populi Croatici legatis a Serbico legato occisus est 20-VI-1928.*

Occiso duce, ut Croatos facilius frangeret *rex Alexander, abrogata Constitutione, formalem etiam dictaturam iniit anno 1929* (4 annis ante Hitler). Ut se autem coram populis Occidentis excusaret, dictaturae rationem « salutem populi et Status » declaravit (praetextus omnium dictatorum!).

Huius dictaturae tempore omnia Croatorum insignia, ipsum quoque nomen abolita, collegia nationalia cuiuscumque generis vetita eorumque bona proscripta, factiones politicae destructae, specialia « tribunalia Status defendendi » constituta, carceres atque ergastula Croatis repleta et non pauca milia Croatorum vel sententia tribunalium capite damnata vel sine ullo processu tormentis subiecta vel occisa sunt.

Persecutio quoque Ecclesiae catholicae in dies crescebat: episcopi ad tribunalia cogebantur, processiones eucharisticae saepe vi quandoque etiam caede fidelium dissipabantur (Omiš, Hvar), dum eodem tempore ecclesiae orthodoxae omnes favores largiebantur.

Omnibus impetibus Croati domi strenue resistebant, nonnulli autem extrinsecus libertatem populi sui defendere nitebantur. Post necem regis Alexandri (Marseilles 1934) conflictus inter Croatos et Statum Iugoslaviae mi-

nuebatur consultationesque inter Croatos et Serbos incipiunt, sed absque successu. Eodem tempore concordatum cum S. Sede initum est, sed ecclesia orthodoxa omnibus fidelibus concitatis eum ratum facere prohibuit.

Tandem quinque dies ante bellum ortum (26-VIII-1939) autonomia quaedam notabili parti Croatiae concessa est, quae Iugoslaviam fortiorem redderet, qua tamen nec Ccroatis nec Serbis satisfactum erat: Croatis, quia propria iura nondum tuta videbant, Serbis, quia Croatis se nimis concessisse putabant.

Sub influxo victoriarum Germaniae et propter debilitatem internam Iugoslavia die 25-III-1941 Vindobonae «Pactui Trino» nomen dedit. Quo facto Gubernium se bellum evitasse duxit, attamen iam duobus diebus postea (27-III-1041) viri qui hegemoniae Serborum nimis studebant, legatio Sovietica Belgradi, nec non hierarchia orthodoxa magnos tumultus populi in tota Serbia, praesertim Belgradi excitaverunt, regni procuratores deiecerunt et minorennem regni heredem Petrum II regem fecerunt. Quae omnia, ut notum est, bello Germaniae contra Iugoslaviam viam straverunt.

INDEPENDENS STATUS CROATIA

(10-IV-1941 - 6-V-1945)

Eventus memoratos, qui die 27 martii 1941 Belgradi crisim Status ac bellum provocaverunt, nec non reactionem totius populi Serbici contra « Pactum Trinum » subscriptum, Serbi universo mundo ita explicare conati sunt, ut in oculis omnium populus Serborum tanquam amator defensorque libertatis appareret simulque summo odio contra nazismum et Germanos ductus promptus esset potius libertatem in bello amittere quam eamdem in amicitia cum Germania conservare. Quam explicationem Nationes Unitae, sine ulteriore examine acceperunt, quia usui eorum propagandae optime serviebat.

Cui politica extera Iugoslaviae, quam ab initio usque ad finem Reipublicae soli Serbi ducebant, saltem ex parte nota est, eum non latebit *politicam istam praecipue certamine Croatorum et Serborum rectam fuisse.* Si itaque odio quodam eventus illi explicandi sunt, potius de illo in Croatos quam in Germanos et nazismum sermo esse potest.

Serbi enim optime noverant sequentia:

a) Croatos iam ab anno 1527 usque ad annum 1918 a Germania continuo oppressos fuisse.

b) Organizationi Croaticae « Ustaša » (ustati = assurgere ad proprium populum liberandum), quae extrinsecus contra Iugoslaviam agebat, Germanos nec opem tulisse, necque eam ullo modo tolerasse.

c) Potestate a nazistis sumpta politicam Germanorum erga Iugoslaviam amicissimam fuisse (Ceterum spiritui Borussico propinquior erat Serbicus animus dominationis qui magnam et ad centrum penitus redactam Rempublicam creavit, quam nisus alicuius parvi populi pro libertate obtinenda).

d) Germaniam toto corde desiderasse, ut non tantum Iugoslavia verum etiam omnes Balcani extra bellum remanerent. Germani enim Balcanos praesertim Iugoslaviam, fontem principalem materiarum primarum anonaeque potius quam arenam bello devastatam esse voluerunt. Sed tali Germaniae consilio tantummodo bene composita et ordinata Respublica satisfacere potuit, non vero Respublica occisi Radić, interfecti Alexandri Karadjordjević, respincti Concordati, orthodoxi proselytismi, Respublica carcerum et patibulorum. *Aut ergo Germani Serbos ad Croatis plenam libertatem concedendam coegissent,*

aut Croati ad inimicos Germaniae accessissent. In priori casu Croatorum condicio in dies melior evaderet, in altero vero ab victoriam Nationum Unitarum dominatio Serborum extincta esset.

Quomodo istam Scylam et Charibdim evitare? Unica via Serbis patebat, bellum nempe contra Germaniam. Ideoque Serbi necessitate logica politicae suae anticroaticae pulsi in bellum ruerunt.

Coram quali dilemmate Croati tunc stabant? Quid ipsis logica imperabat? Duae viae illis patebant: Aut una cum Serbis, aut suum iter facere. Una cum Serbis non erat nisi pati, dilaniari, mori, non solum sine ulla sua utilitate, verum etiam in maximum damnum. Pecunia, exercitus, apparatus diplomaticus, domus regia, sceptrum, omnia in manibus Serborum firma erant. Serbi Iugoslaviam coram mundo repraesentabant, *ipsi, non vero Croati, pro sanguine Croatico praemium accepturi essent.* Ne igitur proprio sanguine servitutem firmarent iter suum Croatis faciendum erat.

Simul ac bellum Iugoslaviae contra Germaniam exortum est, Croatia omnis una anima surrexit et octo dies antequam « Axis » ad finem bellum perduxit, potestatem militarem et administrativam Iugoslaviae Croati excutiunt. Die 6 Aprilis 1941 bellum initum est, at iam die 10 Aprilis Croati suam propriam Rempublicam in toto nationali et historico territorio, sub nomine Independentis Status Croatiae declararunt.

Quod sane factum, longe ut sit vacuus verborum sonitus, sed fultum armis militum Croatorum in omnibus regionibus, publiceque approbatum a Dr. Maček, duce maximae factionis Croaticae, *potestatibus Axis improvisum minimeque gratum accidit,* cum earum consilia, Monaci a 1940 inter Hitler et Mussolini creata, perturbasset.

Iam diximus Germanos Iugoslaviam servare voluisse. Rationibus adductis haec una adiungatur: omnium potentiarum bellum gerentium, Status Independens Croatorum soli Germaniae non minimo obstaculo erat. Ipsa enim non parvos vel mediocres Status, sed magna sic dicta oeconomica spatia creare studebat; non novos facere, sed veteres Status in novas unitates redigere cupiebat. *Antiquo sed tali nova conceptione commutato Germaniae nisui in Balcanos, in Orientem (Drang nach Osten) Croatia Independens aditum occidentalem Balcanorum praecludebat.*

Italia, Germaniae aemula, Iugoslaviam destructam servatae praeponebat, sed Croatiam ad summum quandam novam Albaniam, minime vero Statum independentem facere intendebat.

Diversa Germaniae et Italiae consilia Monaci anno 1940 composita sunt. Decretum est enim Iugoslaviam conservandam et tantummodo separatae occupationi militari subiciendam esse.

Ex facto autem completo summum utilitatis extrahendum erat. « Axis » novi ac iusti in mundo ordinis creatrix alta voce proclamabatur. Croatorum vero ius in propriam libertatem propriumque Statum tam clarum et tam iustum est, ut novi Status creatio optimum propagandae instrumentum Axi praebeat.

Istis de causis provenit illa inimica ratio agendi Germaniae et Italiae in

Statum recentem, quem formaliter debebant agnoscere, cuius tamen toto tempore belli liberum progressum et internam consolidationem cohibebant.

Praesentia exercitus Germanici et Italici, forma externa amici et foederati, re autem inimici et occupantis; adiunctio Dalmatiae ad Italiam; subiectio oeconomica Croatiae apparatui bellico Axis; favor erga coetum nationalem Germanicum in Croatia, pars malorum sunt, quae novum Statum vexabant. Populus tamen firmus erat in defendendo proprio Statu, conscius sibi de naturali et historico iure ad renovandam iam a mille annis antiquam suam Rempublicam, et ad liberam commorationem in libera sua patria. In momento igitur, dum tota fere Europa militans sub iugo Germanico gemebat, Anglia in insulam reducta erat, Status Uniti Americae et Russia adhuc neutram partem agebant, Croatis maxime opportunum videbatur, procul a bello progressui sui Status studere, ut in Conventu Pacis tanquam bene ordinatus Status apparere possint.

Attamen his votis populi Croatici expleri in fatis non erat. Ubi primum Germaniae copiae in finibus Iugoslaviae numero diminutae sint, Serbi arma accipiunt et ita bellum civile exarsit. Quid Serbos ad bellum istud ineundum impulit? Eadem ratio qua pulsi etiam bellum contra Germaniam susceperunt, necessitas nempe logica eorum politicae versus Croatos. Dum alii Europae Status a Germanis victi tantummodo sub occupationem militarem redacti sunt integritate finium intacta, Iugoslavia in duos Status divisa extitit. Condicio ergo Serborum ab illa aliarum nationum victarum differebat. Aliis enim nationibus finem belli et victoriam Germaniae inimicorum quiete expectare conveniebat (sicut maxima pars populi Statuum oppressorum revera fecit); Serbis autem nequaquam, quia ad id tempus Status Croatiae fortis beneque ordinatus factus esset et coram victoribus ipsis ut elementum ordinis ac pacis stetisset. Ergo ante bellum finitum Status Croatorum Serbis delendus erat.

Bellum mundiale, omnes deterioris partis in homine catenas dissolvit et infimi instinctus in diem prorumperunt. Cuius rei bellum illud civile Croatiae unicus, dolendum, testis non est. Candide confitemur quosdam etiam Croatorum peccasse. Cuius rei pudet nos non autem coram facie vix cuiusdam populorum bellantium, sed coram nobis ipsis, historia et religione nostra.

Gratia tamen veritatis historicae nonnulla effere liceat, quae nec Serbi negari audeant:

1) Sanguinem innocentem civium inermium primi fuderunt «Četnici», non solum tempore pacis, verum etiam belli (obsides, incolas inermes, mulieres, infantes – Djakovo, Čapljina, Modrića, Derventa...).

2) Croati in Serbia neminem, e contra Serbi ex Serbia in Croatiam ad dena milia invadentes, plurimos Croatos occiderunt.

3) E toto numero innocentium victimarum vix diiudicari potest utrum plures Croati an Serbi fuerint.

4) Sanguine innocentium forsitan maxime imbutum est solum Montis Nigri et Sandžak, ambo extra fines Status Croatiae, idque luctatione inter ipsos Serbos, communistas nempe et nationalistas.

5) Arte pulcherimum Serborum poema « Gorski vienac » iudicatur, quod episcopus orthodoxus Rade Petrović composuit, in quo versibus persequitur clades mahometanorum Montis Nigri, quos orthodoxi olim in Vigilia Nativitatis Domini omnes gladio ceciderunt, « da očiste zemlju od nekrsta » (ut terram a non-baptizatis purgarent).

Quidquid sit tamen hoc bellum civile clare unum saltem probavit: *Iugoslaviam Rempublicam ordinis ac pacis fieri non posse.*

Bello cum Russia inito, *ad « četnici » communistae se applicant,* et pugna contra Croatiam saevit modo unito modo separato impetu utrorumque rebellium, donec communistae prevaluerunt, qui a Nationibus Unitis fortiter incessanterque adiuti, post flumina sanguinis, post centena milia victimarum innocentium utriusque sexus omnisque aetatis, post milia vicorum devastatorum, opus renovandae Iugoslaviae ad finem perduxerunt.

Attamen, non obstantibus immanibus obstaculis et difficultatibus, praesertim vero saevitia belli civilis, Status Croatiae, primo biennio vitae suae, ad lentam et securam consolidationem progrediebatur.

Gubernium, magna opera suscepit: viae publicae et ferreae, domus operariorum, aedificia scholastica et administrativa, haud parvo numero construebantur. Paludes quoque exsiccabantur et flumina in alveos deducebantur.

At procul dubio, maximos successus Independens Status Croatiae in cultura promovenda habuit.

Ne sane sermonem longe protrahamus, enumerantes singula, unum factum verbo tangimus: anno etenim 1945, cum tota fere terra a communistis infestabatur, in Zagreb *quotidie duo novi* libri typis edebantur. Pluries artifices Croati opera sua recentissima domi et in terris exteris exposuerunt; quorum vero valor artisticus ab omnibus agnoscebatur et inter primos aestimabatur. « Opera » Status primum theatra alienarum nationum visitavit, opera originalia Croaticorum compositorum coram mundo culturali magno cum applausu efferens.

Culturam populi Croatici clare testatur etiam sumptuosa et monumentalis editio *Encyclopaediae Croaticae* quae autem extincto Statu interrupta remansit.

Qui vero progressus, tam brevi tamque adversi temporis spatio et tam splendide obtenti, sacrum ius Croatorum ad proprium Statum tenaciter vindicant.

Speciali modo memoranda est *relatio Statum inter et Ecclesiam.*

Nova Respublica non solum sicuti reliqui Status occidentales principium tolerantiae religiosae agnovit, sed etiam publice religionem uti fundamentum ordinis moralis, familiae et totius societatis propugnavit. Propterea positiva legislatione et suprema auctoritate, necnon vero auxiliis materialibus, religionem defendebat ac promovebat.

Licet sane S. Sedes novum Statum Croaticum, uti tempore belli creatum, formaliter non agnoverit, tamen abbatem Raimirum Marcone O. S. B. in Croatiam mandavit. Quae vero missio omni populo valde grata et vere pro-

videntialis apparuit, illud enim factum historicum ex saeculo septimo ipsi in mentem revocans, cum Summus Pontifex Martinum, abbatem benedictinum, ad Croatos baptizandos miserat.

Favor erga Ecclesiam eiusque ministros etiam ex hoc elucet, quod sacerdotes, ex diversis regionibus ob terrorem communistarum et « četnici », necnon exercituum Axis aufugientes, apud Gubernium refugium et adiutorium invenerunt; et quidem non solum sacerdotes Croatici, sed et alii, quos Germani, in miserrimis condicionibus, e patria expulserunt.

Scholae confessionales plena libertate gaudebant. Praeter facultatem theologicam Zagabriensem iam pridem florentem Gubernium Sarajevi alteram constituit, et ita *summum theologiae catholicae institutum vicinissimum orthodoxiae regionibus posuit.* Ceterisque theologiis provincialibus gradus facultatis pro foro civili agnitus erat.

Porro ordinibus et congregationibus religiosis ius scholas, cum elementares tum medias instituendi, agnitum est, quo iure in Iugoslavia non gaudebant, ipsisque novus Status summum adiutorium praebebat.

Primo revolutionis tempore transacto relationes Statum inter et ecclesiam orthodoxam ordinatae sunt: ipsa novam Constitutionem obtinuit et reorganizata est qua « ecclesia orthodoxa croatica » pari modo ac in Polonia, Albania ceterisque Statibus secundum characterem eius traditionalem Statui nempe inhaerentiae.

Ecclesiae autem « vetero-catholicae », ad quam solummodo circiter 5000 animarum pertinebant, sustentatio a Statu necnon ius matrimonia valida contrahendi denegatum erat.

Tali modo Independens Status Croatiae agebat. In labore eius facile forsitan vitia et peccata et ingenuitates non paucas reperies, quorum vero magna pars etiam ex nimis brevi experientia proveniebat. Unum autem constat, *Croatiam politicam religiosam, exemplo illius traditionalis Statuum catholicorum Europae egisse.*

His tamen non obstantibus, bolscevismus et orthodoxia Serbica Sancti Sabae viribus unitis toto belli tempore summopere enitebantur et etiam nunc enituntur, ut Statum Croatiae coram mundi facie ad columnam ignominiae affigerent. Columna ista a « reactione », « profascismo », « collaboratione », « quislingismo » usque ad fascismum gradatim surgit.

Statum Croatiae a fascismo et nazismo creatum esse affirmant, sed contrarium iam demonstravimus.

Croatos accusant, quod cum Hitler collaborassent. Quod si verum esset, iuste quaeri posset: si bolscevismo cum Hitler ad Poloniam crucifigendam eiusque vestimenta dividenda collaborare licuerat, cur Croatis cum eodem Hitler ad vestimenta sua retexenda et ad suum corpus quod Tatari, Othomani ceteraeque non tantum Orientis verum etiam Occidentis nationes lacerabant, tegendum collaborare non licuerit?

Motum « Ustaša » nazismo vel fascismo aequum et par dicunt. Quia vero motus iste magnum influxum in gubernationem Status exercebat, Gubernium ipsum nazifascisticum proclamant. Ulterius, formam Gubernii, quae natura

sua accidens (praecipue tempore belli) ideoque mutabilis est, Statui populoque exaequantes, ipsum Statum et populum nazifascismi accusant. Quae omnia confundere bolscevismi est. Necesse est ergo distinguere et nonnulla observare:

Quoad motum « Ustaša »: *a*) natura sua [1] nihil nazifascismi habuit, quod de forma eius externa (ob oppressionem politicam Axis assumptam) dici non potest; *b*) singuli motum dirigentium, ob varias causas, maxime ob dictam oppressionem, Gubernio nonnulla imponebant, quamquam sibi conscii, Gubernium populumque istis contrarios esse.

Quoad Gubernium: *a*) toto tempore Status partem Gubernii motui numquam nomen dedisse constat, quod de fascismo vel nazismo dici non potest; *b*) maxime prae oculis habendum est. Axim iam tempore belli Statui destructionem minatam esse.

Quoad Statum et populum: *a*) populus voluntatem proprii Status renovandi iam a saeculis affirmabat; *b*) regimen transitorium et a circumstantiis dependens aestimabat; *c*) omnes vires populi, ut Status salvaretur impendendae erant et ad internas luctas ad regimen aliaque mutanda non sufficiebant. Ideo, maioris boni gratia, Status nempe, populus omnia tolerabat, centena vero milia Croatorum non ad Regimen vel « novum mundi ordinem », sed ad ipsum Statum defendendum mortem gloriosam occubuere; *d*) populus, viva experientia edoctus, optime sciebat, sibi eligendum esse inter Statum cum omnibus quae ei transitorie inhaerent et orthodoxiam bolscevismumque. Quae omnia eventus probavit.

Ergo, nullo iure licuit ipsum Statum destruere totumque populum cruci figere, dum sufficiebat tantummodo novam formam gubernandi instituere.

Liceat nobis, in fine, unum quaerere: Utrum « Pacta Lateranensia » respuenda Statusque Vaticanus delendus, quia alter contrahens regimen fascisticum erat?

Cur ergo calumniae, cur haec omnia contra Croatos? Quia bolscevici illud Christi « qui non est mecum contra me est » suum fecerunt.

Cuius criminis Croati rei sunt? Rei sunt quia bolscevici esse nolunt; rei

[1] Statuti principia fundamentalia haec sunt: « ... Moralis fortitudinis populi Croatici fundamentum consistit in vita religiosa bene ordinata ». Statuta poscunt, ut « ... quodvis membrum communitatis nationalis conscium sit, religionem et familiam fundamentum vitae, bene ordinatae, sanae, contentae et felicis esse », et propterea ex mente Statutorum capaces ad construendam vitam publicam sunt « ... viri honesti tantum et moraliter integri », qui se viriliter opponunt « ... atheismo, convicioni in Deum et turpiloquio, ebrietati, vitiis, discordiis, mendaciis et maledctis », qui promovent « ... in populo promptitudinem ad sacrificia pro bono communi sine expectatione praemii », speciatim dein decertantes « contra vitam mollem et otiosam », et praesertim tutantes « ... sanctitatem matrimonii et familiae... magni facientes dignitatem mulieris et matris..., protegentes et defendentes honorem puellae ». Omnibus imponitur « ... accuratissime custodiendum integrum Nationis certamen... numquam se in actionibus inquinare nec in vitam alicuius innocentis aut in eius bona peccare..., officio proprio non insolenter uti ad satisfaciendum suum arbitrium. voluptatis vel cuiusvis lucri causa, aut in iustitiam falsis et pravis accusationibus peccare... ».

sunt quia catholici sunt; rei sunt quia iam pridem illud noverant, quod Winston Churchill nuper cognovit, Titum nempe « partisanosque » eius bolscevicos esse, et quia eos prius fortiter oppugnaverant, quam W. Churchill poenituit adiutorii illis dati; rei sunt, quia adhuc vivi sunt et quia liberi esse volunt.

Istorum causa criminum hodie Croatorum natio in columna ignominiae, quam portae inferi bolscevici erexerunt, affixa est; eius Status in terram prostratus, in sanguine sacerdotum et fidelium submersus est.

Quam iusta causa nationis Statusque Croatorum fuit, optime testantur sequentes:

LITTERAE PASTORALES EPISCOPATUS CROATIAE

Fideles nostri carissimi!

Temporibus praeteritis nos episcopi Croatiae verba faciebamus ad vos, oves nostras spirituales, quotiescumque agebantur res summi momenti pro vita animarum vestrarum. Hoc autem immanis belli tempore caremus usu commercioque cum nostris fidelibus, nec licet nobis ubique, in quavis parochia, mederi gravissimis vulneribus quibus prostrati iacent fideles nostri dioecesium Croatiae. Quoniam vero dolores nostrorum fidelium, vel potius Croatorum gentis in dies crescunt eorumque animi sortis patriae angore afficiuntur ob innumeras res falsas, ob mendacia et calumnias, quibus consilio ac data opera undique natio nostra obruitur, nos, quibus collationum episcopalium cura commissa est, dum agimus nomine totius coetus Episcoporum Catholicorum Croatiae, nostri officii esse duximus paucis vos alloqui, fideles carissimi, ut iam diluamus calumnias quasdam et pura putaque mendacia quibus impetuntur sacrosancta iura et bona Ecclesiae Catholicae et Nationis Croaticae apud quam eadem operatur.

1. *Hora gravis.* — Intimo animi sensu ponderantes de quantis rebus agatur hodie, conscii quoque quantum aetati nostrae et futurae debeamus, ante omnia invitamus fideles nostros, ut arctius uniantur nobiscum in profitenda vera in Deum fide, qui est auctor, legifer et finis ultimus vitae et ut in omnibus operibus suis prae oculis habeant immortalitatem et summum pretium dignitatis moralis hominis cuiusque, quae hodie omnino fere nihil penditur. Uniti cum successore sancti Petri promittimus palamque profitemur sicut fecerunt quondam maiores nostri temporibus Pontificum Romanorum sancti Agathonis et Ioannis VIII, futurum esse numquam ut a Sancta Sede Apostolica divellamur sive longis spatiis, sive cruciatibus sive falsis inimicorum Ecclesiae accusationibus, quaecumque tandem nobis eveniant.

Considerantes porro quot quantaque passa sit Croatorum gens saeculo vigesimo (quae mala his ultimis annis tolerata aequiparanda sunt vulneribus ac doloribus iusti Iob), vocamus omnes tribulatos, humiliatos, offensos et plagis onustos, ne animis deficiant neve si martyrium ipsum subeundum foret, avelli se patiantur ab Ecclesia Catholica et caritate Dei et hominum.

2. *Accusationes falsae.* — Prodierunt falsi testes nos accusantes, Episcoporum catholicorum atque sacerdotum fideliumque optimorum culpa factum

esse ut mutuo sanguis fundatur in hac nostra Croatia. Est testis qui melius videt perspicitque omnia, Deus, qui novit quae nos Episcopi catholici et fecerimus et tulerimus his ultimis 20 circiter annis ut genti Croaticae servaremus pacem et operosam caritatem christianam. Haec orbi universo perspecta sunt. Amor pacis erat quasi nota fundamentalis animae Croaticae, quem amorem ab anno praesertim 1918 maximis cum obstaculis et summa cura colebant et profitebantur cum duces civiles tum Praesules Croatorum.

Attamen ne labor noster totum sortiretur fructum, impeditum est ab iis qui et primipilos rei Croaticae occidebant et populum nativo solo spoliabant, atque ita gentem nostram a pace sequenda averterunt, inquietum suaque sorte non contentum reddiderunt. Innocens sanguis Croaticus inter duo bella spargebatur in plurimis urbibus et pagis Croaticis, immo in ipso Belgradensi senatu. Belgradi foede conculcatum est concordatum quod dicimus, sponsio solemnissima pacta inter S. Sedem Apostolicam et regnum quondam Iugoslaviae, sicque tandem factum est ut Catholicorum Croatorum iura a nutu prorsus regiminis penderent. Silentio premimus turpiter conculcata promissa de quibus cum viris Croatorum primariis convenerat. Haec quoque neminem latent quotquot publicis student.

Cum vero nostras etiam fines attigerat bellum quod neutiquam a Croatorum gente est commotum, quandoquidem potestate publica non pollerent Croati sed alii quidam, et dum Croati armis omnino carebant, iam inimici iniquissimi perpetrabant caedes incolarum Croatorum in pluribus locis, minantes interitum et excidium nostrae genti. Post haec inventi sunt, quod dolendum est, etiam inter Croatos viri qui caedes caedibus reddebant. Episcopi Croatici talem pugnandi modum et damnabant et impugnabant, quamquam offendebantur ab iis quibus id gratum non erat.

Episcopi, cum singuli tum v. gr. in conventu anno 1941 adunati, vocem miserunt contra eos qui limites iustae defensionis transgrederentur, et contra homines violentos omnes, cuiuscumque partis erant, succurebant innocentibus non respicientes discrimina religionis et nationis. Semper nobis ratio ac via praesto erant intercedendi et interveniendi apud illos quibus secundum nostram opinionem potestas fuit lenire miseriam sine nostro reatu irruentem in fines Croatorum. Damnabamus opiniones, consilia, doctrinas a dextris et a sinistris prolata, damnavimus quoque homines singulos qui ius sibi esse existimabant violare praecepta divina et privare alios iuribus humanis, quia forsitan erant alterius gentis, generis vel condicionis.

Quinimmo hodie quoque legum aequalitatem exposcimus pro omnibus, adhortamur homines singulos, coetus, gentes ne reddant malum pro malo neve maledictum pro maledicto (*I Petr.*, 3, 9). Hanc adhortationem ad eos etiam mittimus qui ab aliquo tempore data opera instigant iniquissimos et pravissimos homines, sive singulos sive coetus, ut nomine ac simulatione iudicii in « malefactores bellicos » edendi maximum quem possunt Croatorum numerum occidant, sacerdotum praesertim et aliorum catholicorum litteris excultorum, privantes eos non solum vita, sed etiam bona fama.

3. *Adversus odium.* — Malefici omnes, quarumcumque demum partium sunt, in ius vocentur et pro culpa puniantur. Iam tamen apud omnes qui verum iustumque diligunt exploratum est, culpam nec plene nec iuste ab iis qui moventur *odio* posse iudicari. Si quis sacerdos, id quod rarissime omnino accidit, alios laesit in iuribus, non haesitavimus ipsum poenis ecclesiasticis plectere, immo statu sacerdotali vel religioso extrudere.

4. *Crudelitas communistarum.* — *Sed hodie, cum summo animi sensu vocem mittimus coram Deo et genere humano contra systematicas caedes et cruciatus innocentium sacerdotum et fidelium catholicorum, quorum plurimi vitae sanctitate eminebant, in quos infensissimi Ecclesiae Catholicae hostes, culpis ementitis nixi, mortis sententiam tulerunt.*

Inimici Ecclesiae Catholicae iidemque materialistici communismi sequaces quem tota Croatorum gens uno animo abnuit (contrarium qui asserere auderet, universum terrarum orbem deciperet) etiam in hac nostra Croatia ferro ignique exterminare coeperunt sacerdotes et eminentiores fideles concepta vesana ferendi ratione. Quam vero insaniant iniuste vel ex eo apparet quod iam, ut dicitur, a priori omnes Episcopos, sacerdotes et religiosorum ordinum provincias totas « scelerum bellicorum » accusant, singulis autem quas perdere volunt personis falso subdunt crimina alicubi commissa. Verum apud populos ad humanitatem excultos cordatus reperiatur nemo qui talia efficta et arbitraria consilia approbet, aut credere possit catholicos Episcopos, sacerdotes, provincias illustrium, orbi notorum beneque meritorum ordinum religiosorum, virorum et mulierum, milia catholicorum senum virorum, mulierum virginum esse « maleficos bellicos » dignosque qui trucidentur ipsisque attribuantur caedes quas vel factos esse ignorabant. *Hi omnes martyrio suo perpetuo accusant eos qui, ut rerum potiantur, caedibus utuntur.*

5. *Requiritur commissio internationalis.* — *Episcopi Croatorum Catholici parati sunt ut singuli casus inquirantur et excutiantur idque a praesulibus quoque exterarum gentium et a commissionibus ut dicimus internationalibus. Hoc modo statui poterit, accusationem « criminum bellicorum » simulationem esse ac medium ad exterminandos illos qui ex communistarum mente obstant ipsis ne partium suarum consequantur consilia.*

Quamobrem Croatiae Episcopi constitui iuberunt coetum qui casus omnes examinet, colligatque argumenta *quae ad nutum commissionis internationalis praesto erunt, ut pateat veritas atque ut appareat quomodo mendacia facta sint instrumentum ideologiae, cuius sequaces pugnis et calcibus laborant ut orbis terrarum imperio potiantur, etiamsi numero evanescunt toto in orbe, in Croatia autem catholica dici potest, repraesentant fere neminem.*

6. *Ius Croatiae ad independentiam.* — Dum in religionis rebus supremam esse Ecclesiae Catholicae potestatem profitemur, supremam quoque Reipublicae in civilibus rebus potestatem agnoscimus, atque sicut nos de Ecclesia administranda rationem debemus reddere, ita et potestas civilis de actis sui ordinis. Croatorum sacerdotes et fideles ab Ecclesia imbuebantur reddendum esse Deo quae Dei sunt, genti etiam Croaticae quae ipsi debentur. Historia

teste gens Croatorum mille fere annis currentibus nunquam desiit *una voce* clamare, *nolle se renuntiare iure libertatis et independentiae* quam aliis gentibus omnibus ex animo exoptat. Et cum in hoc altero orbis terrarum bello natio Croatica desiderium ac ius suum opere *explevisset atque suam Rempublicam constituisset, Episcopi hanc gentis Croatorum voluntatem, ut par erat, reverentia sunt prosecuti. Nemini igitur ullum Reipublicae Croatiae civem, necdum Episcopos, accusare licet quod reverentur hoc firmum ratumque gentis Croatiae decretum, ad quod ius habet ex legibus aeque divinis atque humanis.*

Croatiae Episcopi, quantum in ipsis erat, viribus omnibus adnixi sunt, ut in Republica Croatiae ubique legum haberetur ratio, memores « iustitiam esse fundamentum regnorum », iustitia utique erga omnes sine generis, nationis religionis, condicionisve discrimine.

Fideles nostri carissimi!

In limite sumus Hebdomadae, ut dicimus, Maioris memoriae Passionis Domini Nostri Iesu Christi sacrae. Genus etiam humanum universum hodie in Hebdomada quadam Maiori versatur. Quid nos hoc sancto tempore sentire oporteat, ipsa nos docuit aeterna Veritas et Amor, divinus Salvator Iesus Christus. Illis qui ipsum falsis accusationibus cruci affixerant, respondit a cruce: « Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt » (Luc., 23, 34). Dolore oppressa novimus esse plurima milia popularium nostrorum, quorum quasi vulneratis animis dicimus: Si quis vult discipulus esse Christi, spiritu ipsius regatur oportet, qui spiritus animos vere humanos proferre docet eadem verba ac Christus protulerat e cruce: « Pater, dimitte illis... ».

Postremo nos, pastores vestri, monemus vos ut, *accuratissime evitantes quae cum divina lege pugnant,* confidatis misericordiae et providentiae Dei O. M. et fidem servetis sanctae Ecclesiae, donec Dominus finem huius terribilis tempestatis faciat et universo humano generi atque genti nostrae quae tot ac tanta mala est perpessa, sanctam suam reddat pacem.

Benedicat vos omnes omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

Zagrabiae die 24 Martii a. 1945.

In nomine omnium Croatiae episcoporum:
Consilium executivum collationibus praesidens:

Dr. *Aloysius Stepinac,* Archiepiscopus Zagrabiensis et Metropolita, collationum Episcopalium Praeses.

Dr. *Ioannes E. Šarić,* Archiepiscopus Vrhbosniensis et Metropolita.

Dr. *Antonius Akšamović,* Episcopus, Apost. Administrator Diakovensis.

Iosephus Garić, O. F. M., Episcopus Banialucensis.
Dr. *Ioannes Šimrak*, Episcopus unitorum Crisiensis.

Tunc temporis sequentes Excmi Episcopi ad Croatiae Episcopatum etiam pertinebant:

Mons. Dr. *Hieronymus Mileta,* Episcopus Sibenicensis.
Mons. Dr. *Quirinus Clemens Bonefačić,* Episcopus Spalatensis-Macarensis, olim Salonitanus.
Mons. Dr. *Iosephus Srebrnić,* Episcopus Vegliensis (Krk).
Mons. *Michaël Pušić,* Episcopus Pharensis.
Mons. Dr. *Victor Burić,* Episcopus Segniensis.
Mons. Dr. *Petar Čule,* Episcopus Mandetriniensis et Tribuniensis.
Mons. *Paulus Butorac,* Episcopus Cathareusis et Admin. Apost. Ragusiensis (Dubrovnik).

P. S. — Quae typis crassioribus hic imprimuntur, in originali quoque textu ab auctoribus sublineata sunt.

AD VOS VENI

« Ad vos veni[1], principes clarissimi et domini illustrissimi, ut vos viva voce certiores faciam bolscevicorum periculi, quod Croatiae potissimum, at ex ipsa, regionibus vestris etiam imminet, atque ut vobis in mentem revocem, Croatiam esse scutum et confinium christianitatis. Ideo obsecro vos, nomine totius Croatiae, immo nomine totius christianitatis, ut terrae isti opem tandem feratis, quae quidem, unicum exemplum, in illis partibus bolscevicorum impetus sola propulsat... Bolscevici profecto timendi sunt, cum terribiliter potentia et violentia creverint. Lacrimans memoro vobis, quomodo noster hic inimicus crudelis oppida nostra partim destruxerit, partim vero sub potestatem subegerit et quomodo in regione nostra inenarrabiles atrocitates fecerit, quae ego infelix propriis oculis vidi. Considerate, quanta mala mundo christiano obvenirent, si Croatia succumberet. Tua quoque res agitur, cum domus proximi tui ardet. Si bolscevici, per nefas, Croatiam occupaturi sint, omnes exercitus christiani difficulter eos inde expellent, cum Croatia natura sua talis sit, et talia oppida habeat. Stipem emendicare nolumus, uti multi viri insignes Graeciae, Serbiae et Albaniae faciunt, quod ipse Romae vidi. Si nobis in auxilium non succurratis, Croati aut bolscevicorum stipes accipient et se imperio eorum subicient, aut patriam relinquent et per mundum, de domo in domum, vagabuntur, servituti bolscevicorum ista praeferentes ».

Recentissimum Ecclesiae Catholicae in Croatia nec non totius populi Croatici martyrium praesenti opuscolo Ecclesiae Praesulibus proferre in votis nobis erat. Cum vero religio et Ecclesia Catholica medulla et anima totius culturae occidentalis sint, haec Praesules edocentes, totum simul mundum occidentalem certiorem de iisdem facimus.

Hodie sane problemata sic dicta politica, tum ea interioris vitae populorum et Statuum, tum illa quae in relationibus internationalibus pertractantur, tali modo et a talibus factoribus proponuntur, ut vitam religionis et Ecclesiae a phaenomenis politicis disiungere nullo pacto liceat. Quae profecto

[1] Octoginta annos natus, comes Bernardinus Frankopan, die 19 Septembris a. 1522, ex Croatia Norembergam pervenit, ut in concilio Statuum et ordinum Germaniae omnium animos ad Croatiam intentos redderet.

Orationem huius herois Croatici ad verbum transferimus, solummodo voci « Turcae » illam « bolscevici » substituentes.

res in Croatia praesertim *numquam* possibilis erat. Necessarium itaque aestimavimus historiae quoque politicae in Croatia brevem saltem synthesim prae oculis ponere.

Ex hisce paginis amor noster erga patriam atque nationem nostram et plus aequo forsitan eruitur. Si hoc nobis in peccatum vertitur, crimen in nobis non est, verumtamen in tota historia nostra, quae adsiduo certamine « Pro cruce sancta et libertate aurea » insignitur, crimen quoque in nostro situ geographico.

Praecipuus inspirator ac magister recentissimi « nationalismi » Croatici, Dr. Milan Sufflay, [2] scribebat: « Cum consistimus in limine novi temporis, quaestio una nobis ultro imponitur, quales nempe dotes communitatibus nationalibus capacitatem vitalem ad crisim superandam suppeditent? Quemadmodum panis terrestris organismo nationali necessarius debetur, non aliter est necessarius ac panis alterius vitae, id est religio, quae quidem attributum essentiale et notam peculiarem animae uniuscuiusque populi constituit ».

Nationalismum Croaticum Sufflay optime vindicavit, ingeniose eum e arctis Croatiae finibus ad latissimas totius Occidentis regiones elevans: « Omnis Croatus eruditus, speciali autem modo philosophus, optime compertum habet nationalismum Croaticum superiorem esse nationalismo cuiuscumque alius populi, qui in finibus Occidentis et Orientis non vivit. Dum enim abyssus, a saeculis procreata, inter Mediterraneum occidentale et orientale intercedit, dumque iterum profunda abyssus inter Asiam et Europam usque magis hiat, et dum denique quinque saecula dominationis Turco-byzantinae terris Balcanicis assidue minitantur, nationalismus Croaticus, maximum propugnaculum civilizationis occidentalis denotat. Et usque dum civilizatio haec in discrimine versatur — quod quidem hodie absque dubio evenit — nationalismus Croatorum non est solummodo amor glebae paternae..., neque solum affectus erga regionem propriam, sed probum et decorum opus toti Occidenti redditum..., ideoque plene positivum ».

Quid Croati volunt? Tantummodo quid ipsis iure naturali et humano eorumque pro mundo christiano et occidentali merito competit: Volunt propriam Rempublicam. Conscii sane, Statuum non esse populos disiungere sed vinculo amoris unire, promptos se declarant tot sacrificia tribuere quot iustus et honestus ordo Europae crastinae exiget.

Odio neminem prosequuntur, neque desiderio ultionis animantur. Nequaquam itaque irrationalis vel iniqua voluntas (Croatis enim bona voluntas numquam deerat), sed vita ipsa cum novissimis eventibus, uti effectibus evolutionis historicae mundi et profundae traditionis duorum populorum, evidenter hoc demonstravit: *Iugoslavia existere potest solummodo qua dictatura, et quidem vel dictatura regum Karadjordjević vel dictatura Titi.* Si igitur in

[2] Hic erat professor Universitatis Zagabriensis, vir rerum historicarum Byzantii et Albaniae doctissimus, et in toto mundo erudito celeberrimus; idem etiam in Universitate Budae in Hungaria professor extitit, sociusque aliquot Academiarum mundi. Serbi ipsum die 12 Februarii a. 1931 in via publica media in civitate Zagreb, veluti animal occiderunt, calvam eius fuste contundentes.

nova ordinatione societatis mundialis locus dictaturae nullibi datus erit, neque Iugoslavia locum habebit.

Croati tamen a sua avita et insigni missione religiosa «ut sit unum ovile et ûnus pastor» deficere, nullatenus in animo habent. Ipsi enim hoc sublime mandatum devote et strenue absolvebant, immo vero haud raro in damnum propriae et nationalis et politicae incolumitatis. Unum tamen oblivioni non est tradendum: *In communi Statu, in quo catholici cum orthodoxis, et numero et condicione politica praevalentibus, una degunt, Catholicismus in favorem orthodoxiae, deminutione lenta et constanti affici debet.* In Statibus enim huiusmodi non unio sed devoratio possibilis est. Uter vero devorandus sit, non tantum e mere religiosis sed aliis quoque viribus dependet. Lex autem historica orthodoxiae est Reipublicae intime se ligare atque ex tali nexu vim praeponderantem haurire.

Ideoque, *de existentia vel inexistentia Status Croatici* dependet, *utrum limites spirituales Orientis ad Bosphorum regressuri an Alpes transituri sint.*

Illa ergo, quae in Croatia nuperrime acciderunt et nunc quoque eveniunt, ex ambitu eventuum mundi nullatenus sunt eximenda. Croatia hodierna theatrum est, in quo prae oculis totius Occidentis catholici illud spectaculum evolvitur, quod ab auctore Serbo Dule Nikolajević in drammate «Volga, Volga» describitur, quodque vero in Iugoslavia prae-bellica, in ipso Belgrado, maximo cum applausu repraesentabatur.

In scena finali educuntur Fjodor Mihajlović Dostojevski, repraesentans ideam orthodoxam Russiae, atque Vladimirus Ilić Lenin, pater bolscevismi athei. Dostojevski promptum se exhibet pro peccatis Lenin cruci affigi, et ita loquitur: «Crucifige me, Vladimire Ilić, et destrue Europam, columbe mi! In pulverem bombis redige Moysen Michaelangeli et ex fundamentis everte Ecclesiam Dominae Nostrae (Nôtre-Dame)! Frange et proice omnes statuas Christi catholicas! De facie terrae tollatur Christianismus Romanus! Unice maneat orthodoxa, slavophila Russia, mater nostra! Intumescat Volga! Effundatur super ripas sacrum flumen nostrum! Submergat totam Europam, omnia templa eius! Volga, Volga! Ecce crucem, Vladimire Ilić, nunc volo ad crucem ascendere! Vide, quomodo Volga Europam suffocet... Europa demergitur... diluvio, ex Russia prorumpente! (Effigiem B. Virginis elevans). Ipsi lacrimae pro Europa non sunt, minime! Volga, Volga, felix sum! Clavis me cruci affige, Vladimire Ilić, et Europam destrue, columbe mi!»

Vladimirus Ilić Lenin respondit: «Fjodor Mihajlović, columbe mi: amo te, frater mi, geni noster! Russia destruet Europam – destruet eam! Fjodor Mihajlović, columbe mi, columbe Russiae...!»

Volga Croatiam invasit. Strepitus undarum eius iam Romae auditur! *Auditurne quoque murmur sanguinis plusquam ducentorm sacerdotum Croaticorum et plerorumque centenorum milium fidelium occisorum? Audiuntne populi Occidentis ex Croatiae silvis pulsum nudorum pedum denorum milium militum, quos isti tormentis bellicis de confinio Aûstriae regredi coegerunt?*

In pacto, quod Croati cum Agathone Papa (678-681) pepigerunt, inter alia, secundum Porphirogenetum, hoc quoque scriptum invenitur: «Croati... iura-

verunt, numquam se alienam terram armis invasuros, sed pacem habituros cum omnibus volentibus; et imprecationem vicissim a Romano Pontifice acceperunt, ut, si quando aliae gentes ipsorum Croatorum terram invaderent, belloque infestarent, pro iis pugnaret, vindexque esset eorum Deus, victoriam conciliante Petro Christi discipulo ».[2]

Ut pactum istud executionem sortiatur, *videant illi quibus competit Dei vicem in terris gerere.*

Videant consules Occidentis, qui se Dei et iustitiae causam agere alta voce clamitant!

[2] MIGNE, *Patrologia Graeca*, tomus CXIII, col. 283.

SUMMARIUM

1. Martyrologium novissimum 5
2. Bolscevismus et orthodoxia 20
3. Civitas Dei 26
4. Campus sepulchrorum 31
5. Antemurale Christianitatis 34
6. Advenae 39
7. Croatia pro unione Ecclesiarum 43
8. Iugoslavia (1918-1941) 50
9. Independens Status Croatia (10-IV-1941 – 6-V-1945) 55
10. Litterae pastorales Episcopatus Croatiae 62
11. Ad vos veni! 67